6
4-E
41

6
4 K
14

Digitized by Google

L. Hervas

Digitized by Google

L. H

Digitized by Google

[illegible]

INSTITVTIONES
ANTIQVARIAE.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

INSTITVTIONES ANTIQVARIAE

QVIBVS PRAESIDIA
PRO GRAECIS LATINISQVE SCRIPTORIBVS
NVMMIS ET MARMORIBVS
FACILIVS INTELLIGENDIS PROPONVNTVR

AC PLVRIMA

AD NVMERORVM ET VOCVM COMPENDIA
AD CHRONOLOGIAM ET PALAEOGRAPHIAM
SPECTANTIA
ACCVRATE EXPLICANTVR.

AVCTORE

EVERARDO AVDRICHIO
SCHOLARVM PIARVM
PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS
PVBLICO PROFESSORE.

BIBL · DOM · PROF · ROM
IHS

FLORENTIAE MDCCLVI.
EX TYPOGRAPHIA SACRAE CAES. MAIEST.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Οὐ πάντα παραδεκτέον ἡμῖν, ἀλλ' ὅσα χρήσιμα. καὶ γὰρ αἰσχρὸν τῶν μὲν σιτίων τὰ βλαβερὰ διωθεῖσθαι, τῶν δὲ μαθημάτων, ἃ τὴν ψυχὴν ἡμῶν τρέφει μηδένα λόγον ἔχειν, ἀλλ' ὥσπερ χειμάῤῥουν παρασύροντας ἅπαν τὸ προςυχὸν ἐμβάλλεσθαι.

Ἁγ. Βασιλ. Ὁμιλ. κδ' πρὸς τὺς Νέυς ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῦντο λόγων.

Non omnia nobis recipienda ſunt, ſed utilia dumtaxat. Turpe enim fuerit reiicere nos cibos exitioſos, diſciplinarum vero, quae animam noſtram nutriunt, rationem nullam habere, ſed torrentis in morem quidquid obvium eſt trhaentes, id in animum recondere.

S. Baſil. Homil. 24. ad Adoleſcentes, quomodo poſſint ex Gentilium Doctrinis fructum capere.

AD ERVDITAE
ANTIQVITATIS CVLTORES.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

GRAECAE Latinaeque Antiquitatis ſtudium, quod ſacram atque profanam eruditionem complectitur univerſam, claris illud quidem profectum initiis, & a ſublimioribus olim ingeniis educatum, culpa tamen temporum barbarorum, iacuit diu ſordideque luctuoſa nocte ita involutum, ut ſuae triſtitiae atque horroris aſpectu cultiores etiam viros ab eo excolendo reiecerit. Et iacuiſſet profecto ad haec uſque tempora, niſi ſuperiori ſaeculo renatis in Italia litteris, ad huius etiam facultatis dignitatem vindicandam quamplurimi excitati, vivida quadam ingenii acie penitiora illius arcana invadentes, immenſae doctrinae praeſidio offuſam caliginem diſpuliſſent, beatamque lucem pretioſis totius vetuſtatis memoriis atque ſcriptoribus adeo affudiſſent, ut ex recenti illorum labore nova quaedam vita huic ſtudio reddita videatur. Id enim teſtantur tot Graeci Latinique ſcriptores ad priſtinam codicum fidem reſtituti, perpetuiſque animadverſionibus illuſtrati; inſcriptiones illae monimentorum propemodum infinitae, quae huc illuc diſpertitae impendentem ſibi verebantur interitum, nunc in unum corpus collatae, inque claſſes digeſtae & explicatae, numquam perriturae revixerunt; tot denique nummi lapideſque, atque aliae monimentorum reliquiae, quae olim telluris viſceribus incluſae ignorabantur, aut inter domeſticos parietes tenebris damnatae, ipſiſque dominis ignotae, ſordebant, aut Aſiae Africaeque regionibus diſiectae, veluti reſoluti corporis membra, barbarie inhorruerant, mo-

do in nobiliſſimas aut regias Aedes translatae, oculos animumque ad ſe rapiunt Eruditorum, indeque vulgatae & illuſtrationibus explanatae, publicae privataeque inſerviunt utilitati atque ornamento. Quae vero lumina, quaeve praeſidia ex nova illa ſcriptorum recenſione, emendatione, novaque monimentorum luce ad omnes fere diſciplinas, quorum ſemina illic ſunt effuſa, excipiantur, niſi infantiſſimum latere poſſunt. Nihil enim iniquos illos rerum exiſtimatores moramur, qui haec ſtudiorum genera veluti iocularia traducentes, curatore magis, quam monitore indigere videntur. Sed illi nos manent, atque ad ſe ſe vocant ingenui Adoleſcentes, qui praeclare de hac facultate, eiuſque commodis ſentientes, frugiferos illius eruditionis theſauros adire, feliciterque delibare deſiderant, quorum vota atque conſilia intuentes, has Inſtitutiones praecipue comparaſſe profitemur. Id vero iam inde a ſuperioribus annis mihi animo obverſabatur, cum ſelectioribus Latinorum Comoediis & Tragoediis una cum Petro Soderinio illuſtratis, in uberiorem Adoleſcentium utilitatem quid maius proferre meditarer. Cumque Collega meus eoſdem in oratoria facultate ad Ciceronis mentem inſtituere cogitaret, nihil ego erudiendae iuventuti opportunius, atque huius etiam aetatis indoli accomodatius exiſtimavi, quam ſi pro Antiquitatis cultoribus breves haſce Inſtitutiones concinnarem, quibus ipſorum ingenia veluti ſacris illius myſteriis initiata, ad arcana deinde longeque auguſtiora facile admitterentur. Adhuc tamen in eo conſilio haeſitantem, non modo me confirmavit, ſed calcar animumque ad ſpartam illam exornandam mihi addidit Cl. Eduardus Corſinius, cuius quae & quanta ſint in eruditam Antiquitatem egregia merita, niſi quem tota Antiquitas fugit, ignorare poteſt, quo tum pro ſua humanitate fa-

mi-

miliariſſime utebar, & quem modo ſummum Moderatorem ac Patrem Scholarum Piarum Ordo veneratur. Iamque operi manus admoveram, cum ab amoenioribus litteris repente avulſus, & ad ſeveriores diſciplinas profitendas translatus, remiſſius quam debueram, quamque Typographus edito operis argumento ſpem fecerat, ſuſceptum opus urgere debui, & ad hoc uſque tempus differre. Quid vero animo intenderim Inſtitutionibus hiſce meis, quidve praeſtiterim, paucis amice Lector docebo, quae ſi aequo pacatoque animo tute ipſe repetes, conſilium hoc meum a te minime improbatum iri confido. Ea inter praeſidia, quae ad Graecos Latinoſque ſcriptores, ac monimenta probe aſſequenda plurimum poſſunt, tria ſunt, quae prae ceteris utilia ac neceſſaria maxime commendantur; temporis nimirum, veteris ſcriptionis, atque obſcuriorum compendiorum tum litterarum, tum numerorum plena cognitio. Ex iis enim non modo in aliqua huiuſce facultatis membra, ſed in univerſum Antiquitatis corpus eruditio adeo influit neceſſaria, ut ſine illis ſcriptorum monimentorumque ſenſus, nemo niſi divinando adipiſcetur. Viderant id Cl. illi viri, qui unum aut alterum ex hiſce praeſidiis illuſtrandum ſuſcepere, doctiſſimi illi quidem, & ingenioſi, quorum ſcripta ſane graviſſima plurimum huic operi contulere. Sed quae illi grandioribus ſuis voluminibus comprehenderunt, multum exercitatis doctiſque viris, parum vero Adoleſcentibus prodeſſe valent, in quorum manibus praegrandia illa volumina non ita facile verſari poſſunt, vel quod rara ſint, vel quod magno ſumptu comparentur. At ſi etiam commode verſarentur, rerum expoſitarum congerie & varietate Tironum ingenia potius irretiunt quam illuminant. Alii enim cum eruditis peritiſque viris ſibi rem eſſe putantes, graviora ſolum ac ſublimiora rerum ca-

pita

pita perſequuntur, quod eſt nimis exile, aut certas in partes adeo effunduntur, ut alienas quoque doctrinas ſublimioreſque diſputationes eodem trahant, quas longioris morae faſtidium adverſantes, ferre non poſſunt Adoleſcentes; alii veteribus ſcriptoribus illuſtrandis intenti, quae ſunt propria monimentorum neglexere, & viciſſim qui ad monimenta explananda ſe contulerunt, de priſcis ſcriptoribus parum aut nihil ſolliciti fuere. Quid vero quod in ſingulis fere, qui haec rerum genera pertractarunt, a poſterioribus deinde Criticis notati ſunt lapſus quamplurimi? Quid quod ex recenter erutis monimentis nova lumina novaeque cognitiones prodiere, quae in illis deſiderantur, & quarum ope quae adhuc dubia vel obſcura cenſebantur, liquido innotuere; quae falſo aſſerta vel explicata, opportune caſtigantur? Quare ingenuis Adoleſcentibus hoc etiam praeſidii genus deeſſe vel optari poſſe videbatur, ut memorata illa pro Antiquitatis ſtudio veluti fundamenta, quae diſſociata alibi, exiliter vel prolixe pertractata inveniuntur, in unum corpus colligerentur, in quo reſectis ſubtilioribus inutilibuſque doctrinis, expeditiora & iucundiora facili nativaque ratione atque via traderentur; ſimulque oblata facultate aliorum peccata, & emendationes oſtenderentur, & quidquid ex nuper eductis monimentis affulxit, unico aſpectu pateſieret. Hoc praeſtare animus fuit Inſtitutionibus hiſce, in quibus, nugis ſalebriſque rerum excuſſis, quae ſapienter inſtituta, emendata, detecta ad Chronologiam, Paleographiam, Numerorum Litterarumque Compendia pertinentia pro ſcriptorum monimentorumque cognitione, eaque multis libris diſperſa, in unum conducere, inque facilem ordinem diſtribuere, & perſpicue quantum facultas noſtra tulit, exponere ſtuduimus; non quidem adeo parce ut illorum cognitio brevi exareſcat, neque tam

abun-

abunde ut mergat ingenium. Quo fiet ut luce hac Inſtitutionum erecti adoleſcentes, in lectionem ſcriptorum & monimentorum confidentius ingrediantur. Et quamquam labor hic noſter profanas Graecorum Latinorumque Antiquitates potiſſimum ſpectet, curae tamen fuit non modo toto Operis curſu aliquid etiam ſacrae Vetuſtatis obiter intermiſcere, ſed ad Operis calcem de Chriſtianorum monimentis atque inſcriptionibus in peculiari capite brevem tractationem inſtituere. Quemadmodum ne ſua novitatis laus in labore hoc noſtro deſideraretur, eximium ſane Hemerologium in Mediceo-Laurentiana Bibliotheca adſervatum, a Cl. Lamio olim editum, novis nunc primum illuſtrationibus exornare ad eruditae Antiquitatis incrementum optimum duximus. In iis omnibus pertractandis orationem adhibuimus niſi elegantem, nativam certe, & fortaſſe minime inconditam, legentique potius quam ſcribenti facillimam. Teſtimonia atque auctoritates in marginem coniecimus; ac ſi quid exprimendum occurrit more Criticorum, occurrit autem ſaepius, id plerumque in animadverſiones contulimus breviores. Critici perſonam ſuſcipere de induſtria ſaepius effugimus, non modo quod ab hoc ſcriptionis genere aliquantulum aliena videretur, verum etiam quia nobis nihil ſuſpectum eſt magis, quam iudicium noſtrum; ubi eamdem ſuſtinere cogimur, ſapientiorum virorum emendationibus adhaeremus, quarum ſi quas non probamus, non niſi caute mutantur ac verecunde. Supereſt ergo ut conſilium hoc aequi bonique faciant Antiquitatis Cultores, in quo habent Tirones ad Vetuſtatis eruditionem praeſidium, Eruditi habent, quo intermortuam tot rerum recordationem excitare valeant, quorum primis ſi prodeſſe, ab aliis vero ſi probari contigerit, uberem mihi illius fructum gratulabor.

COR-

C O R R I G E N D A.

	verſ.	*Errata.*	*Emendatio.*
Pag. 9.	31.	P. I. 479.	P. I. 4709.
16.	7.	Ξανκντερι	Ξανκνθερί
39.	4.	ΑΤΔΙΔΑΟC	ΑΤΔΙΔΑΙΟC
41.	31.	*& alibi* MSS.	MS.
60.	1.	*in notis*. ΕΤΟΥ	ΕΤΟΥΣ
61.	17.	ἔτυς	ἔτȣς
107.	15.	Eρι	E'πί
112.	11.	Shiltiades	Miltiades
128.	24.	*& alibi* Paleographiae	Palaeographiae
129.	26.	fractae	*deeſt* ſunt
145.	26.	*in notis*. excitatum	excitato
158.	14.	O'κλὰ	O'κλὼ
216.	32.	Θ. ΝΕΩΚ	Β. ΝΕΩΚ
226.	3.	*in notis*. memorato	memoratum.

IN-

INDEX CAPITVM
PRIMAE PARTIS.

I. DE Romanorum Anno, praeſertim Iuliano, Menſibus & illuſtrioribus Epochis.
II. De civilibus Graecorum annis, ipſorumque Menſibus, & celebrioribus Epochis.
III. De Aegyptiorum Periodo, Anno, Menſibus, atque nobilioribus Epochis.
IV. De Iudaeorum Anno & Menſibus.
V. De quorumdam Populorum Menſibus in Graeco quodam Mediceo-Laurentiano Codice memoratis, olim quidem editis, nunc vero primum illuſtratis.
VI. De Regionum & Vrbium Epochis in Graecis Nummis uſitatius expreſſis.
VII. De inſcriptis Epochis in Graecis Latiniſque Marmoribus.
VIII. De ratione qua datus Annus in Aera quapiam numeratus, ad quamlibet Aeram aliam praeſertim Chriſtianam reducatur, & quo pacto Epochae e nummis comprobari, aut etiam erui poſſint.
IX. De ratione Annorum deſignandorum per Auguſtorum Annos in Imperio, ſive de Auguſtorum Epochis in Scriptoribus & Monimentis.
X. De ratione Annorum ſupputandorum per Magiſtratuum nomina a Graecis uſurpata.
XI. De ratione Annorum numerandorum apud Romanos per Magiſtratuum, praeſertim per Conſulum nomina. PAR-

PARTIS SECVNDAE.

I. *De Diverſis Litterarum formis pro temporum varietate in Graecis, Latiniſque Monimentis adbibitis.*

II. *De variis numerandi rationibus in Graecis Monumentis uſurpatis, & de variis illarum Notis.*

III. *De Litterarum Compendiis, quae in Graecis Latiniſque Monimentis obſervantur.*

IV. *De quibuſdam obſcurioribus ſiglis, quarum nonnullae explicationes adbuc dubiae, aliae vero omnino falſae cenſeri debent.*

V. *De Honorum titulis, qui Caeſaribus, Auguſtis, eorumque Vxoribus in Graecis Latiniſque Monumentis tribuuntur, & de illorum ſiglis.*

VI. *De quibuſdam honorificis appellationibus, quae Regibus, Reginis, & nonnullis praeclaris Vrbibus delatae, in Graecis Monimentis obſervantur.*

VII. *De Chriſtianorum Monimentis, Inſcriptionibus, & Siglis.*

AD

INSTITVTIONVM AD ANTIQVITATIS STVDIVM

PARS PRIMA

CHRONOLOGIAM COMPLECTENS

SEV

CYCLOS, ANNOS, MENSES, ATQVE EPOCHAS IN SCRIPTORIBVS, NVMMIS, ET MARMORIBVS MEMORATAS EXPONENS.

CAPVT I.

De Romanorum Anno, praeſertim Iuliano, Menſibus, & illuſtrioribus Epochis.

QVum varias civilis anni rationes, menſium nomina, periodos una complecti decreverim, quae in Graecis, Latiniſque Scriptoribus, ac Monimentis aliis occurrunt, adeoque eruditae Antiquitatis cultoribus perſpecta eſſe debent, a civilibus Romanorum annis exordiar, ad quos, facili & expedita methodo mox explicanda, Graecarum quoque, vel exterarum Gentium periodi, atque anni referri poſſunt. Atque in eiuſmodi quidem civilibus Romanorum annis in ipſo veluti limine deſcriben-

dis, illud fortaſſe vel opportunum, vel neceſſarium videretur, ut antiquiſſima Romani anni forma nitide proponeretur, ea nimirum, quae a primis uſque temporibus apud Romanos recepta ac uſurpata fuerat. Quicumque tamen vel operis huius conſilium, vel rei difficultatem accurate perſpexerit, facile intelliget lubricam atque propemodum inutilem operam hac in re collocari, cum ſubtilior illa veteris anni ratio nihil fere Antiquitatis cultoribus erudiendis conferre poſſe videatur. Etenim tam variae, & diſſidentes adeo Scriptorum ſententiae de veteris huius anni Romani forma circumferuntur, ut in tanto Auctorum conflictu, rerumque obſcuritate vix aliquid certo coniici vel definiri poſſit. Itaque nihilo fortaſſe in rebus geſtis ad ſua tempora revocandis; Scriptoribuſque intelligendis inſtructior evaderet, qui antiquiſſimam anni rationem probe perſpectam haberet, cum Romani Scriptores rerum geſtarum tempora ac ſeriem in ſolo plerumque anno Iuliano exprimere ac deſignare conſueverint. Hinc e re magis futurum putavi, ſi breviſſime admoneam primam anni formam a Romulo inſtitutam neque ſolarem neque lunarem fuiſſe, ſed ſpatium dierum 304. in decem menſes diviſum, quorum primus fuerat Martius. Rudis ergo ac mirifice inconſtans in anni tempeſtatibus, feſtiſque diebus indicandis huiuſmodi forma eſſe debuit, ut illam merito Ovidius ipſe deſpexerit.

Scilicet arma magis, quam ſidera Romule noras,
Curaque finitimos vincere maior erat (1).

Noverat hanc anni perturbationem Romuli ſucceſſor Numa, eique ſatis proviſum credidit, ſi duo alii menſes Ianuarius nempe & Februarius adderentur (2), annumque efficeret dierum 354. Cum vero annus ſolaris lunarem quotannis undecim diebus & quarta circiter diei parte ſuperaret, ſingulis bienniis menſis intercalaris fuit inſertus poſt diem 23. Februarii, qui dicebatur *Merchedonius*, & uno biennio viginti duobus, altero viginti tribus diebus conſtabat, & a Dea *Merchedona*, quae *mercedibus ſolvendis*

(1) Faſt. Lib. I. (2) Plut. Numa.

dis praeerat, nomen habere creditur (1). Cum tamen Solis Lunaeque curſui adhuc impar haec anni menſura videretur, a Servio Tullio, aut a Decemviris inſtitutum fuit, ut vigeſimo tertio, vel vigeſimo quarto quoque anno Merchedonius menſis omitteretur (2). Verum cum eiuſmodi intercalatio Pontificum curae mandata foret, iique pro arbitrio nunc plures ſaepe dies, nunc iuſto pauciores intercalarent (3), ingens adeo perturbatio incertam hanc anni formam ſubſecuta eſt, ut Iulii Caeſaris aetate initium anni per 67. dies retroceſſerit. Itaque Iulius Caeſar rerum potitus cum perturbationem illam, quae a Numa ad eius uſque tempora irrepſerat, deprehendiſſet, conſilio Soſigenis Graeci Aſtronomi ad anni correctionem, eumque ad Solis curſum conformandum totus incubuit, iuſſitque (4) ut anno V. C. 708. ſexaginta ſeptem illi dies una cum Merchedonio menſe adiicerentur, ita ut annus ille, qui *annus confuſionis* dicitur, 445. diebus conſtaret. Inde vero conſtituit ut annus impoſterum complecteretur dies 365. & horas ſex, quae cum quibuſque quatuor annis unam diem efficiant, dies ipſa ſingulis quadrienniis poſt ſextum ante Kalendas Martias, hoc eſt poſt diem 24. Februarii inſerebatur, unde is annus *biſſextilis* dicebatur, quod ſextus dies ante Kalendas Martias bis numeraretur. De menſium vero ſitu, quemadmodum etiam de illorum nominibus, nihil immutavit Caeſar, niſi quod *Quintilis* menſis in eius honorem, quod eo menſe natus eſſet, legem ferente M. Antonio Conſule *Iulius* vocari coepit; quemadmodum *Sextilis*, quo Auguſtus primum conſulatum inierat, ab eiuſdem nomine *Auguſtus* deinceps eſt appellatus. Verum cum Pontifices, quibus intercalandi poteſtas iterum demandata fuerat, eadem abuterentur, atque ob eam cauſſam varietas aliqua ſenſim in annum irrepere incepiſſet, Auguſtus anno Iuliano 38. V. C. 746. ante Chriſtum 8. ut omni perturbationi impoſterum futurae obviam iret, quarto quoque anno intercalandi legem aere iuſſit incidi, ut ab ullo ignorari, aut a Pontificibus

 alte-

(1) Vid. Scalig. de Emend. Temp. Tom. II. (2) Vid. Gronov obſer. II. 38.
(3) Vid. Manut. ad Cic. Famil. VII. 2. (4) Vid. Amm. Marc. XXVI. 1.

alterari non poſſet, atque haec celebris eius anni forma fuit, qui vulgo *Iulianus* eſt appellatus, cuius initium a Kalendis Ianuariis proceſſit an. V. C. 709. ante Chriſtum 45. Haec autem anni Iuliani diſpoſitio, biſſextorum periodus, menſium ordo nunc etiam a nobis ſervatur cum illarum tamen legum acceſſione, quas, ut ſuperſtites adhuc in anno Iuliano errores expungeret, edidit Gregorius XIII. an. Aerae Chriſtianae 1582. Etenim cum ſolaris annus dies 365. ſexque horas integras non complectatur, ſed ad integrum tempus hoc abſolvendum 11. minuta deſint, ex minutis illis a Iulio Caeſare iam admiſſis 133. annorum ſpatio dies integra componebatur, adeoque in 400. annorum Iulianorum ſpatio tres omnino dies numerandi fuerant, qui tamen inſeri vel computari non debent. Hinc Aequinoctium vernum quod Nicaeni Concilii tempore, hoc eſt an. Chr. 325. in 21. Martii diem inciderat, poſt annos 1260. ſenſim retrogradiendo Gregorii XIII. temporibus ad 11. Martii diem pervenerat. Itaque ut labem hanc auferret Gregorius, ex anno 1582. decem dies expungendos decrevit, adeoque Aequinoctium vernum diei 21. Martii reſtituit. Atque ut impoſterum error ille vitaretur, conſtituit ut ex quatuor centenariis vel ſecularibus annis, quorum quilibet ex Iulii Caeſaris hypotheſi biſſextilis eſſe debebat, tres communes forent; ideoque ſervata in ceteris Iuliani anni forma, in 400. annorum ſpatio tres tamen dies eximerentur, hoc eſt centenariis veluti biſſextilibus ex Iuliani anni legibus adiungendi, minime adiungerentur. Ita ſecularis annus 1600. pro veteri Iuliani anni ratione biſſextilis fuit, ceteri tres proximi 1700. 1800. 1900. communes forent, iterumque 2000. biſſextilis haberetur. Atque iſta quidem a nobis de anno Iuliano differentibus praeteriri vix poterant, licet breviſſime indicanda fuerint, quippe quae ab Inſtitutionibus hiſce noſtris aliena fortaſſe videbantur. Nonnulla quoque hic ſubiicere operae pretium exiſtimamus de Cyclis illis, qui huic anno Iuliano tribuuntur. Quamvis enim illi apud antiquos Scriptores minime occurrant, cum tamen ex illis celeberrima Iuliana periodus exſurgat, cuius frequentiſſimus atque utiliſſimus uſus in annis perſpi-

ſpicue certoque deſignandis maxime commendatur, omitti omnino non debent.

De Solis & Lunae Cyclis, & Indictione Atque Iuliana Periodo.

Iulianus annus, ut diximus, 365. dies & horas inſuper ſex complectitur, quibus quarto quoque anno dies alter accedit, quem ſex illae horae quater ductae conficiunt. Iam vero numerus ille dierum in hebdomadas diſtributus componit hebdomadas 52. & unicus adhuc dies in anno communi & duo in biſſextili ſuperſunt, qua de re communis annus in eadem feria vel hebdomadis die deſinit, qua inceperat. Quia vero hebdomadae ipſae per 7. ferias, quae prioribus 7. Alfabeti litteris exprimuntur, in anno evolvuntur, fieri deberet ut ſingulis ſeptem annis in ſingulos hebdomadae dies anni principium ſucceſſive incideret; unde ſeptem illae litterae, quae ſingulis diebus in Calendario apponi ſolent quaeque a Romanis olim *Nundinales*, nunc vero *Dominicales* vocantur, conſtanti ſerie vel ordine primam anni diem exhiberent. Vt ex. gr. ſi annus iſte feria 1. ſive Dominica die, quae littera A deſignata fuerit, exordiatur, poſt integros ſeptem annos iterum anni principium in eamdem Dominicam diem incideret, eidemque litterae A reſponderet. Quoniam vero quarto quoque anno intercalatur, ſeu dies integer anno biſſextili adiungitur, atque biſſextilis annus non in eamdem, in qua inceperat, ſed in ſequentem feriam deſinit, neceſſario fit ut ordo ille litterarum Dominicalium perturbetur, & non niſi poſt 28. annos recurrat, quo peracto ſpatio idem litterarum ordo retexitur, hoc eſt iterum periodus ſeu Cyclus diei ſolaris, nempe diei Dominici qui olim Soli ſacer fuerat, exorditur. Ut autem Cyclus ſolaris cuiuslibet anni inveniatur, ſupponi debet primum annum Chriſti in decimum annum Cycli ſolaris incidiſſe, unde ſi annis Aerae Chriſtianae addantur 9. & tota illorum ſumma per 28. dividatur, ſi nihil quidem reliquum erit, annus ille erit ultimus, ſive vige-

geſimus octavus Cycli ſolaris, ſin vero ſupererit aliquis numerus, hic illius anni Cyclum exhibebit. Itaque

Iunge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo ſeca ſummam, Cyclus ſolaris habetur.

Quamvis lunaris annus ſolarem aequare adeoque cum eo coniungi non poſſit, ſed lunaris anni principium per ſingula ſolaris anni tempora libere evagetur, ac proinde modo una, modo altera ſolaris anni tempeſtate incipiat, inſtituta tamen Metonis Enneadecaëteride ſive annorum 19. periodo, Solis Lunaeque anni ſimul componi, ſive ad unum idemque utriuſque principium redire viſi ſunt. Ratio vero qua lunaris huiuſmodi Cyclus cum ſolari poſt memoratum ſpatium una conſpiret, fuſe a nobis inferius, cum de Graecorum anno ſermo erit, exponetur. Itaque unum hic monere ſufficiat lunarem hunc Cyclum, qui *Aureus numerus* etiam dicitur, quod aureis characteribus depingi conſueverat, quamvis Graecorum proprium, in anno tamen Iuliano locum etiam habere, quum in eo poſt 19. annorum ſpatium, ſolaris Iulianus annus cum lunari coniungatur, ſcilicet Lunae Soliſque motus eodem tempore ad idem Caeli punctum, a quo ante 19. annos ſimul diſceſſerant, revertantur, non ſine tamen aliquo diſcrimine, cum lunaris Enneadecaëteridis periodus ſolarem ſuperet ſpatio hor. 2. 1.′ 28.″ 5.‴ Interim facile definiri poterit quis aureus numerus cuilibet anno dato conveniat. Primus enim Chriſti annus in aureum numerum 2. incidit. Itaque ſi anno Chriſti propoſito unitas adiungatur, & ſumma dividatur, per 19. quod ſupereſt erit aureus numerus anni propoſiti.

Vnum addes annis Domini, ſummamque novenis
Et denis tribues, numerus tibi ut aureus adſit.

Praeter Solis & Lunae Cyclos, tertia quoque Periodus quaedam uſurpatur, quae per ſingulos 15. annos revolubilis *Indictio* appellatur. Illius origo Conſtantini M. tem-

temporibus adſcribi ſolet; eiuſdem inſtitutio prorſus arbitraria & fortuita cenſetur, ſicuti varia Indictionis numerandae principia adhibentur. Alia enim eſt *Conſtantinopolitana* vel Graeca, quae Kal. Sept. incipit, alia *Caeſarea* vel *Imperatoria*, quae octavo Kal. Octob. initium deſumit, alia denique *Romana* vel *Pontificia*, qua ſola modo utimur, & a Kal. Ian. exorditur. Ex illius inſtitutione factum eſt ut primus annus Aerae Chriſtianae in Indictionem quartam, hoc eſt annum quartum Indictionis Pontificiae inciderit, adeoque ut ſingulis annis conveniens Indictio reperiatur, annis Chriſti adiungi debent tres anni, ac ſumma per 15. dividi, quod enim ſupererit Indictionem ipſam oſtendet.

Si tribus adiunctis Domini diviſeris annos,
Ter tibi per quinos Indictio certa patebit.

Ex eiuſmudi vero Cyclis hactenus explicatis celeberrima aeque ac utiliſsima Periodus illa conficitur, quae cum ab Ioſepho Scaligero Iulii Caeſaris filio ad anni Iuliani leges accomodata fuerit, *Iulianae* Periodi nomen eſt conſecuta. Etenim ſi 18. & 19. ſeu ſolaris Cyclus cum lunari in ſe ducantur, fient anni 532. quae Periodus *Victoriana*, hoc eſt a Victore Aquitano inſtituta dicitur. At ſi huiuſmodi ſumma 532. adhuc per 15. ſive per integrum Indictionis Cyclum multiplicetur, fiet 7980. celeberrima nempe Iuliana Periodus. Illius vel maxima utilitas, ac fere mira praeſtantia inde praeſertim oritur, quod quilibet illius annus adeo ſuis Cyclis Solis Lunaeque atque Indictionis certis veluti characteribus inſignitur, ut in nullo alio anno per totam illam Periodum, ſive 7980. annorum ſeriem, iidem Cycli omnes ſimul incidentes redire poſſint, donec integra Periodus 7980. annorum abſoluta fuerit. Sic ex. gr. praeſens annus 1750. Cyclum ſolarem habet 23. lunarem 3. Indictionem 13. qui characteres aut Cycli nulli alteri anno convenire poſsunt, quam anno 6463. Periodi Iulianae; quemadmodum fieri non poteſt ut in tota Periodo Iuliana alter anni numerus reperiatur, praeter prae-

ſen-

ſentem annum 1750. qui diviſus per 28. relinquat 23. per 19. relinquat 3. per 15. reſiduum ſit 13. ideoque praeſens hic annus nulla ratione cum ceteris confundi poteſt, quapropter ſi dati alicuius anni Cycli exprimantur, annus ille a ceteris omnibus accuratiſſime diſtinguetur. Aliud etiam perutile diſcrimen inter Periodum Iulianam aliaſque annorum exprimendorum rationes invenitur. Siquidem in illis ab aliquo remoto temporum puncto veluti cardine anni numerantur. At cum eiuſmodi initium plerumque incertum ſit propter diſſidentes Chronologorum ſententias, ſemper aliquis ſupereſt ambigendi locus quot exinde anni ad noſtra uſque tempora profluxerint. Iuliana vero Periodus a noſtris ipſis temporibus veluti incipiens, retrogradiendo ad annum illum pervenit, quo res geſta memoratur, clariſſimeque demonſtrat quot exinde anni ad praeſentem uſque interceſſerint. Praeterea cum anni quibus Hiſtoriae atque Epochae illigantur, ut plurimum a varia anni tempeſtate exordia deſumant, neceſſe eſt explicare utrum ineunte anno vel deſinente res illa contigerit, ut Epocharum anni cum Iuliano accurate committi poſſint. Denique res omnes geſtae illarumque tempora ſola Aera qualibet definiri non poſſunt, ut ab V. C. vel a Chriſto nato, &c. cum plurimae illius Epochae initium praeceſſerint. At Iulianae Periodi exordium ipſam quoque Mundi creationem 710. annis antecedit, adeoque ſingulae diſcrepantes Chronologorum Epochae ſuum in illa ſitum commode obtinent. Dato vero quocumque anno Periodi Iulianae, Cyclus ſolaris, Aureus numerus, & Indictio illi conveniens facile reperitur. Si enim annus ille propoſitus dividatur per 28. id quod relinquitur erit Cyclus ſolaris, ſi dividatur per 19. Aureus numerus relinquetur, ſi per 15. Indictionis numerus ſupererit. Quemadmodum propoſitis tribus Cyclis inveniri poterit annus datus Periodi Iulianae, cui illi conveniant. Etenim ſi Cyclus Solis multiplicet numerum 4845. Aureus numerus multiplicet numerum 4200. & Indictio numerum 6916. atque productorum omnium ſumma dividatur per 7980. reſiduum quod ex diviſione ſupererit, erit annus Periodi Iu-
Ii-

lianae tribus illis Cyclis notatus, ille nimirum cui tres illi Cycli conveniunt.

De illuſtrioribus Romanorum Epochis.

Quemadmodum rerum geſtarum tempora per ſolares, lunareſque annos illos, quibus quaeque regio utebatur, deſignari conſueverant, ita quoque Scriptores nonnulla veluti puncta ac fines aliquos elegerunt, a quibus alter annorum numerus inciperet, quo rerum memorias definire metirique poſſent. Hinc exortae ſunt Epochae, quas *remoras* ſeu *inhibitiones* commode dixeris, quaeque poſterioribus deinde ſeculis vocatae ſunt *Aerae*. Illarum initium a re quapiam inſigni geſta fere ſemper mutuati ſunt Scriptores, earumque genus duplex; aliae enim *ſacrae*, quae a ſacris nempe Litteris ſacriſque Scriptoribus traditae vel adhibitae ſunt, dicuntur; aliae *profanae*, quibus Scriptores Ethnici utuntur. Quamquam variae primi generis Epochae facile a nobis omitti debeant, de Aera tamen Chriſtiana, quae una fere noſtris hiſce temporibus adhibetur, & ad quam proinde ceterarum Epocharum, periodorumque annos accurate retulimus, nonnulla leviter innuere par duximus. Itaque huius celebris Epochae initium a Dionyſio Exiguo eius auctore, qui ſub Iuſtiniano Imperatore floruit, coniicitur in annum Iulianum 46. ita ut in eius hypotheſi Chriſtus natus fuerit die 25. Decembris anni Iuliani 45. qui fuit annus P. I. 4713. V. C. 753. & 4. Oly. 194. Recentiores vero, & accuratiores Chronologi perſpicue oppido rationibus, clariſſimiſque Scripturae locis egregie demonſtrare contendunt verum Chriſti nativitatem quadriennio ante huius Epochae Dionyſianae principium contigiſſe [1] nempe die 25. Decembris anni Iuliani 41. P. I. 4709. anno 4. Oly. 193. V. C. 749. ut proinde Epocha vel Aera Chriſtiana revera proceſſerit a Kal. Ian. anni Iuliani 42. P. I. 4710. V. C. 750. ac 1. Oly. 194. Verum ut ingenue fatear huic etiam opinioni multa a nonnullis Chronologis obiiciuntur, quae aegre defendi poſſunt, ut

(1) Vid. Pag. Crit. Baron. Vaillant. Vſſer. Nor.

proinde verum Chriſti nativitatis annum nondum certo exploratum fuiſſe dolendum ſit. Neque mirari ſubeat quod haec Dionyſiana Epocha falſa deprehenſa fuerit. Etenim illa primis Eccleſiae temporibus minime adhibita fuit, cum aliarum Gentium more tunc temporis Chriſtiani vel ab V. C. vel per Olympiades annos numerare, aut Conſulum nominibus deſignare ſolerent, unde facile fieri potuit ut Dionyſius, qui poſt quingentos & amplius annos a Chriſti nativitate eam excogitavit, in tam obſcura atque implexa annorum ſupputatione aberraverit. Neque ideo huiuſmodi Aera, loco ſuo, quem illi Dionyſius tribuit, movenda eſt, ne ingens tot annorum numerus, rerumque geſtarum ſeries his annis conſignata perturbetur. Quare rectius nonnulli Aeram hanc non Chriſti aut verae illius nativitatis Aeram vocant, ſed *communem*, *Chriſtianam*, aut *Dionyſianam* appellant. His igitur, quae innuenda omnino fuerant, abſolutis, Romanorum Epochas, attingamus illuſtrior atque uſitatior Romanorum Epocha, ea eſt quae ab Vrbe condita, ſive a Romanae Vrbis aedificatione initium auſpicatur, de qua duae ſunt odie receptae celeberrimaeque ſententiae. Prima Varronis, qui definenti anno tertio Oly. 6. Romae aedificationem ſtatuit; altera Verri Flacci, cum quo Faſti Capitolini conſpirant, qui eamdem Vrbis originem in annum ſequentem coniicit, qui eſt quartus deſinens Oly. 6. Verum cum prior ab antiquis recentioribuſque Scriptoribus frequentius uſurpetur, alterique fere praeponatur, nos cum recentioribus priorem ſententiam praeferendam eſſe cenſemus, ſtatuimuſque cum Varrone Vrbem conditam exeunte anno 3. Oly. 6. hoc eſt anno P. I. 3961. ante Aeram Chriſtianam 753. (1) Cumque dies quo Vrbs condita eſt, fuerit XI. Kal. Maias (2), qui dies *Palilia* a Pale Paſtorum Dea cui tum ſacra fiebant, dicebatur (3), hinc conveniunt Scriptores Romanae Vrbis annorum initium a die 21. Aprilis, ſive XI. Kal. Maias eſſe auſpicandum. Quamquam haec Romanorum Epocha prae ceteris illuſtrior haberi debeat, praetereundae tamen non ſunt aliae

(1) Vid. Pet. de Doc. Tem. Lib. IX. Cap. 45. (2) Dionyſ. Hal. II. 56. (3) Plut. in Rom.

liae nonnullae, a quibus annorum numerum ſupputarunt Hiſtorici, quod nimirum temporibus illis, a quibus in numerandis annis initium ducitur, inſignis hiſtoria, vel res quaedam contigerit, ut in ſubiecta ſerie conſpicitur.

	an. V C.	ant. Ch.
Regum fuga & conſulatus initium.	245.	509.
Roma capta a Gallis.	360.	394.
Primum bellum Punicum.	490.	264.
Secundum bellum Punicum.	536.	218.
Romanorum clades apud Cannas.	538.	216.
Perſeus Macedoniae Rex fractus captuſque a Romanis.	586.	168.
Tertium bellum Punicum.	605.	149.
Carthago diruta a P. Cornelio Scipione Aemiliano.	608.	146.
Mithridates victus a Pompeio.	690.	64.
Craſſus profligatus & interemptus a Parthis.	701.	53.
Bellum Pharſalicum in quo fuſus eſt Pompeius.	706.	48.
Triumviratus Octaviani, Antonii, & Lepidi.	711.	43.
Aerae Hiſpanicae initium, cum facta a Triumviris totius orbis partitione & a ſenatu confirmata, Caeſar Auguſtus Hiſpanis imperare coepit, atque iſti ab exordio regni illius annos numerare coeperunt.	716.	38.
Actiaca victoria Octaviani contra Antonium.	723.	31.
Senatus Octaviano *Auguſti* nomen imponit, quo tempore anni Auguſtani exordiuntur.	727.	27.

Romanorum Epochas in Syria & in Aegypto opportunius proferemus, cum de illarum regionum anno atque Epochis ſermonem inſtituere loci opportunitas poſtulabit, quemadmodum etiam de annorum ſupputandorum ratione per Conſulum nomina, perque Auguſtorum annos in imperio, commodiori loco differemus, ubi nimirum integra & accurata Conſulum, & Imperatorum ſeries contexenda erit.

CAPVT II.

De Civilibus Graecorum annis, ipſorumque Menſibus, ac celebrioribus Epochis.

ANtiquiſſima civilis anni forma, quae apud varias Graeciae nationes, praeſertim poſt Olympiades inſtitutas, obtinuit, inconſtans adeo, perplexa & obſcura fuit, ut illa nitide accurateque definiri non poſſit. Maxima nimirum varietas apud illos ſubinde invecta fuit cum plura a Thalete, alia a Solone, alia ab aliis adiecta fuerint, ac nova demum periodus a Cleoſtrato inventa ſit, quarum opiniorum ſingulae a Scaligero (1), Petavio (2), & Dodvello (3) ſubtiliter exponuntur. In eo tamen omnes fere Graeciae populi conſpirarunt, ut lunarem annum ex lunaribus menſibus compoſitum uſurparent; ſed ita tamen ut annus ille cum ſolari, adeoque Lunae periodus cum ſolari periodo certa quadam lege, ſeu foedere coniungerentur; ut proinde Graecorum annus atque periodus *Luni-Solaris* videretur. Ex eiuſmodi vero periodis, certiſque legibus, quibus lunaris annus cum ſolari coniungi poſſet, omnium accuratiſſima ac celeberrima a Metone Athenienſi inventa, atque anno 1. Olympiadis 87. in civiles Athenienſium annos recepta fuit; moxque ad omnes fere Graeciae gentes manavit. Haec praeſtantiſſima Metonis periodus novendecim ſolares annos complectitur ideoque *Enneadecaëteris*, ſive *novendecim annorum* Cyclus vocatur. Etenim Meto obſervavit quod in 19. ſolaribus annis, quorum quilibet 365. dies horaſque ſex complectatur, integri 6940. dies continentur, idemque dierum numerus ex 235. lunaribus menſibus efficitur, quorum 230. alterne pleni cavique forent, hoc eſt 115. ex illis dies 30. alii 115. dies 29. continerent, poſtremique menſes 5. ſuis in locis opportune inſerendi 31. diebus conſtarent. Integram

(1) De Emend. Temp. Lib. 1. pag. 13. 42. & Canon. Iſag. Lib. III. c 7.
(2) De Doctr. Temp. Lib. I. c. 8. (3) De Cyclis Diſſer. I. ſec. 14.

tegram tamen 6940. dierum ſummam ita partiri, adeoque cavos plenoſque menſes in integra 19. annorum ſolarium ſede diſponere, Metoni libuit, ut ex 235. lunaribus menſibus 125. pleni, & 110. cavi forent. Ita nimirum numerus 3750. qui ex 125. menſibus plenis conficitur, una cum numero 3190. qui ex 110. cavis menſibus exſurgit, integram illam 6940. dierum ſummam conficiet. Itaque ut 19. ſolares anni 235. lunaribus menſibus aequales eſſent, in integra Enneadecaëteridis periodo 110. dies expungendi, hoc eſt 110. lunares menſes excavandi fuerant, ut ipſorum ſingulis nonniſi 29. dies, ceteris autem 125. dies 30. tribuerentur. Quemadmodum vero lunares anni ex lunaribus menſibus compoſiti peracta demum integra 19. ſolarium annorum periodo cum ſolaribus annis coniungebantur, ita quoque embolimorum menſium ope lunares ipſi cum ſolaribus annis citius componi conſueverunt. Etenim cum lunaris annus ex 12. menſibus alterne plenis & cavis compoſitus 354. dies complectatur, adeoque ad integrum ſolarem annum complendum 11. dies quotannis deficerent, ex 11. diebus illis tertio quolibet anno integer lunaris menſis conficiebatur. Itaque ut lunaris ſeu civilis annus cum ſolaris proxime coniungeretur, ac civilia feſta in eosdem ſolaris anni dies vel anni tempeſtates proxime inciderent, tertio quolibet anno, civili lunari anno menſis alius adiungebatur, ut annus ille 13. menſibus conſtaret, ac menſis ille qui praeter ordinem inſerebatur, *embolimus* hoc eſt *inſititius* dicebatur, atque annus cui adiungebatur *embolimaeus* vocabatur. Hinc Athenienſes *embolimum* hunc menſem in extrema anni parte, hoc eſt poſt 12. ſive *Poſideonem* menſem inſerebant, ipſumque, *Poſideonem ſecundum* vocarunt, eumque embolimi ſitum ac nomen conſervarunt quamvis deinde anni cardinem a Gamelione ad Hecatombaeonem tranſtuliſſent. Eiuſmodi vero anni qui Embolimaei eſſe debebant, ita a Metone in 19. annorum periodo diſpoſiti fuere, ut 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. Ennaeadecaëteridis anni ſemper embolimaei forent, ſeu tresdecim lunares menſes amplecterentur, quorum addititius Poſideonis II. nomine diſtingueretur, ſextumque inter,

ac

ac ſeptimum menſem inſereretur. Subtilis profecto, atque ingenioſa huius Metonicae periodi forma, non tamen adeo accurate Solis, Lunaeque curſum ad idem punctum reſtituit, ut nonnula temporis momenta interceſſerint, quae annorum progreſſu labes aliquas atque errores in eumdem Cyclum invexerunt, quos ut expungeret Calyppus Cyzicenus, alterum Cyclum quatuor Enneadecaëterides continentem excogitavit. Itaque recens atque civilis Metonici anni formà Oly. 87. apud Graecos, praeſertim Atticos, obtinuit, cuius initium ab eo novilunio ducebatur, quod ſolſtitio aeſtivo proximius foret, ſive illud praecederet, ſive conſequeretur. Quia vero contigit ut eodem anni tempore & Archontum magiſtratus, & Olympiadum anni exordirentur, hinc factum ut civilis annus cum Olympico & Archontico ab eadem Oly. 87. veluti cardine proceſſerit. Itaque tunc Hecatombaeon menſium primus eſſe coepit, quem ceteri ordine hic ſubiecto conſequebantur, eaque ratione cum ſolaribus Romanorum menſibus proxime committebantur, quae hic expreſſa conſpicitur.

1. Ἑκατομβαιών.	Hecatombaeon.	*Iulius.*
2. Μεταγειτνιών.	Metagitnion.	*Auguſtus.*
3. Βοηδρομιών.	Boedromion.	*September.*
4. Μαιμακτηριών.	Maemacterion.	*October.*
5. Πυανεψιών.	Pyanepſion.	*November.*
6. Ποσειδεών.	Poſideon.	*December.*
7. Γαμηλιών.	Gamelion.	*Ianuarius.*
8. Ανθεστηριών.	Antheſterion.	*Februarius.*
9. Ἐλαφηβολιών.	Elaphebolion.	*Martius.*
10. Μυνυχιών.	Munychion.	*Aprilis.*
11. Θαργηλιών.	Thargelion.	*Maius.*
12. Σκιῤῥοφοριών.	Scirrophorion.	*Iunius.*

Atque iſta quidem de iis ſolum temporibus intelligenda ſunt, quibus lunares menſes, atque Metonicus Cyclus in civilibus Athenienſium annis uſurpabantur, niſi quod Maemacterion aliquando in *quintum*, Pyanepſion vero viciſſim in *quartum* locum migravit, quod circa Olympiadem 224. contigiſ-

-rigiſſe Corſinus oſtendit [1]. Maximam vero varietatem tum in menſium ordine, tum in civilis anni forma, principioque ſequioribus aetatibus invectam eſſe plurima argumenta oſtendunt, quae Petavius; Dodvellus, nuperrimeque Corſinus fuſe proſequuntur. Ac primo ſolares Iulianos annos, eamdemque menſium formam, quae a Romanis adhibebatur ab Athenienſibus uſurpatum eſſe, priſcis tamen menſium nominibus conſervatis ex Ariſtophanis Scholiaſtae loco perſpicue demonſtrat Corſinus [2]. Quin etiam Athenienſes Macedonum inſtar ipſum quoque civilis anni principium, ab aeſtivo ſolſtitio ad autumnale deinde aequinoctium tranſtuliſſe ſuſpicatur, idque facile Adriani tempore, cum ipſe imperio potius Athenas inviſit ann. 3. Oly. 127. cum praeſertim in eximio marmore legatur, Athenienſes *a primo divi Adriani Athenas adventu* annos numerare coepiſſe, ut proinde Athenienſis anni principium tunc temporis a Boëdromione proceſſerit. Sed perturbata deinde menſium ſerie, Hecatombaeonem, qui primus olim fuerat, ab aeſtate ad autumnum migraſſe, primumque iterum locum obtinuiſſe ex Epiphanii teſtimonio deducit Corſinus (3). Verum in re perobſcura, certiſque Scriptorum teſtimoniis deſtituta, quaeque conſilio huic noſtro minime confert, diutius immorari non iuvat. Haec vero de Atticis ſolum populis intelligi debent. Scilicet omnes fere Graeciae gentes, licet finitimae, ſibique coniunctae fuerint, variis tamen diſtinctiſque Cyclis, menſium nominibus, anniquae principio plerumque ab Atticis atque inter ſe diſſidebant, ex quo diſcrimine ac varietate maxima profecto perplexitas atque obſcuritas in Scriptoribus, marmoribuſque reperitur. Etenim illorum quilibet, rerum geſtarum tempora non aliis quam gentis patriaeque ſuae menſibus, veluti characteribus expreſſit. Itaque cum eruditae Antiquitatis cultores ad totius Graeciae Scriptores ac monimenta intelligenda harum Inſtitutionum praeſidio veluti manu ducere conſtituerim, e re futurum exiſtimo ſi aliqua de reliquis Graecorum Cyclis, menſibuſque hic una proferantur, ut ſi quando ea legen-

(1) Faſt. Att. Tom. II. Diſs. XIV. n. 6. (2) Faſt. Att. Tom. I. Diſſ. II. n. 15. (3) Ibid. n. 30.

ac ſeptimum menſem infereretur. Subtilis profecto, atque ingenioſa huius Metonicae periodi forma, non tamen adeo accurate Solis, Lunaeque curſum ad idem punctum reſtituit, ut nonnula temporis momenta intercefſerint, quae annorum progreſſu labes aliquas atque errores in eumdem Cyclum invexerunt, quos ut expungeret Calyppus Cyzicenus, alterum Cyclum quatuor Enneadecaëterides continentem excogitavit. Itaque recens atque civilis Metonici anni formà Oly. 87. apud Graecos, praeſertim Atticos, obtinuit, cuius initium ab eo novilunio ducebatur, quod ſolſtitio aeſtivo proximius foret, ſive illud praecederet, ſive conſequeretur. Quia vero contigit ut eodem anni tempore & Archontum magiſtratus, & Olympiadum anni exordirentur, hinc factum ut civilis annus cum Olympico & Archontico ab eadem Oly. 87. veluti cardine proceſſerit. Itaque tunc Hecatombaeon menſium primus eſſe coepit, quem ceteri ordine hic ſubiecto conſequebantur, eaque ratione cum ſolaribus Romanorum menſibus proxime committebantur, quae hic expreſſa conſpicitur.

1. Ἑκατομβαιών.	Hecatombaeon.	*Iulius.*
2. Μεταγειτνιών.	Metagitnion.	*Auguſtus.*
3. Βοηδρομιών.	Boedromion.	*September.*
4. Μαιμακτηριών.	Maemacterion.	*October.*
5. Πυανεψιών.	Pyanepſion.	*November.*
6. Ποσειδεών.	Poſideon.	*December.*
7. Γαμηλιών.	Gamelion.	*Ianuarius.*
8. Ἀνθεστηριών.	Antheſterion.	*Februarius.*
9. Ἐλαφηβολιών.	Elaphebolion.	*Martius.*
10. Μουνυχιών.	Munychion.	*Aprilis.*
11. Θαργηλιών.	Thargelion.	*Maius.*
12. Σκιρροφοριών.	Scirrophorion.	*Iunius.*

Atque iſta quidem de iis ſolum temporibus intelligenda ſunt, quibus lunares menſes, atque Metonicus Cyclus in civilibus Athenienſium annis uſurpabantur, niſi quod Maemacterion aliquando in *quintum*, Pyanepſion vero viciſſim in *quartum* locum migravit, quod circa Olympiadem 224. contigiſ-

rigiſſe Corſinus oſtendit [1]. Maximam vero varietatem tum in menſium ordine, tum in civilis anni forma, principioque ſequioribus aetatibus invectam eſſe plurima argumenta oſtendunt, quae Petavius; Dodvellus, nuperrimeque Corſinus fuſe proſequuntur. Ac primo ſolares Iulianos annos, eamdemque menſium formam, quae a Romanis adhibebatur ab Athenienſibus uſurpatum eſſe, priſcis tamen menſium nominibus conſervatis ex Ariſtophanis Scholiaſtae loco perſpicue demonſtrat Corſinus [2]. Quin etiam Athenienſes Macedonum inſtar ipſum quoque civilis anni principium, ab aeſtivo ſolſtitio ad autumnale deinde aequinoctium tranſtuliſſe ſuſpicatur, idque facile Adriani tempore, cum ipſe imperio potius Athenas inviſit ann. 3. Oly. 127. cum praeſertim in eximio marmore legatur, Athenienſes *a primo divi Adriani Athenas adventu* annos numerare coepiſſe, ut proinde Athenienſis anni principium tunc temporis a Boëdromione proceſſerit. Sed perturbata deinde menſium ſerie, Hecatombaeonem, qui primus olim fuerat, ab aeſtate ad autumnum migraſſe, primumque iterum locum obtinuiſſe ex Epiphanii teſtimonio deducit Corſinus (3). Verum in re perobſcura, certiſque Scriptorum teſtimoniis deſtituta, quaeque conſilio huic noſtro minime confert, diutius immorari non iuvat. Haec vero de Atticis ſolum populis intelligi debent. Scilicet omnes fere Graeciae gentes, licet finitimae, ſibique coniunctae fuerint, variis tamen diſtinctiſque Cyclis, menſium nominibus, anniquae principio plerumque ab Atticis atque inter ſe diſſidebant, ex quo diſcrimine ac varietate maxima profecto perplexitas atque obſcuritas in Scriptoribus, marmoribuſque reperitur. Etenim illorum quilibet, rerum geſtarum tempora non aliis quam gentis patriaeque ſuae menſibus, veluti characteribus expreſſit. Itaque cum eruditae Antiquitatis cultores ad totius Graeciae Scriptores ac monimenta intelligenda harum Inſtitutionum praeſidio veluti manu ducere conſtituerim, e re futurum exiſtimo ſi aliqua de reliquis Graecorum Cyclis, menſibuſque hic una proferantur, ut ſi quando ea legen-

(1) Faſt. Att. Tom. II. Diſſ. XIV. n. 6. (2) Faſt. Att. Tom. I. Diſſ. II. n. 15. (3) Ibid. n. 30.

genti occurrant facile intelligat cui nam genti menſis ille ſit adſcribendus, quemve in Romanorum annis locum occupaverit, quo denique anni tempore, quo Iuliani anni menſe res memorata contigerit. Nos brevitati conſulentes rerum faſtigia proſequemur: qui haſce Graecanicas eruditiones plenius a fontibus haurire, quam rivulum noſtrum conſectari deſiderat, viros hac in re facile principes adire poterit, nimirum Giraldum, Scaligerum, Petavium, Noriſium, Dodvellum, noviſſime vero Corſinum.

Bithyni.

Licet varietas aliqua in Bithynorum menſium nominibus a Gyraldo, Scaligero, Vſſerio, Henrico Stephano evulgatis occurrat, prout eorum quilibet ipſorum menſium nomina in Graecis Codicibus deprehenderat, quaelibet tamen eorum ſeries ab Heraeo menſe deducitur, quod argumento eſſe poteſt hunc Bythinorum anni cardinem extitiſſe. Iuxta Scaligeri calculum huiuſce Bithynorum anni principium a *viceſimam quartam* Septembris Iuliani diem referri debet, Petavius inſuper obſervat Domitiani Caeſaris aetate Bithynos annos minime fuiſſe lunares [1], quod fortaſſe Iulianae periodo, annique formae Bithynae gentes iam adhaeſiſſent, veteriſque anni cardinem in autumnale aequinoctium tranſtuliſſent. Bithynorum menſium ſeriem ex communi Eruditorum ſententia ſubiicimus.

1. Ἡραῖος.	*Heraeus.*
2. Ἑρμεῖος.	*Hermius.*
3. Μητρῷος.	*Metrous.*
4. Διονύσιος.	*Dionyſius.*
5. Ἡράκλειος.	*Heraclius.*
6. Δῖος.	*Dius.*
7. Βενδιαῖος.	*Bendiaeus.*
8. Στρατεῖος.	*Strateius.*
9. Ἄρειος.	*Arius.*
10. Περιέπιος.	*Periepius.*
11. Ἀφροδίσιος.	*Aphrodiſius.*
12. Δημήτριος.	*Demetrius.*

Poc-

(1) Doct. Temp. Lib. I, c. 31.

Boeoti, ſeu Thebani.

Veterem recentemque Boeotorum periodum, ipſorumque Cyclos accurate Dodvellus edidit, qui Plutarchi teſtimonio luculenter oſtendit [1] quod civilem ſimulque lunarem annum, a *proximo civili novilunio poſt brumam*, ſeu hiemale ſolſtitium Thebani exordiebantur. Hoc anni cardine conſtituto, primus Thebanorum menſis cum Gamelione Attico coniungebatur, idemque de reliquis Boeotorum menſibus intelligi debet, ſi cum ceteris Attici anni menſibus conferantur, niſi Cyclorum varietas, & embolimorum ſedes, hunc ordinem perturbaverit [2]. Quaecumque vero perturbatio ſuboriri potuerit, ea penitus ſublata fuit, Metonis Enneadecaëteride mox inſtituta, atque a Thebanis recepta, quo certe tempore eadem utrobique menſium initia extitiſſe, ſoloque civilis anni cardine Thebanos ab Atticis diſſediſſe eximio Plutarchi teſtimonio erudimur [3]. Ex duodecim tamen menſibus, quibus Boeotorum annus conſtabat, quinque adhuc incomperti ſunt, adeoque ſeptem ſolum a Dodvello hoc ordine recenſentur.

1. Βυκάτιος.	*Bucatius.*
2. Ἑρμαῖος.	*Hermaeus.*
3. Προςατήριος.	*Proſtaterius.*
7. Ἱπποδρόμιος.	*Hippodromius.*
8. Πάνεμος.	*Panemus.*
10. Ἀλαλκομένιος.	*Alalcomenius.*
11. Δαμάτριος.	*Damatrius.*

Cappadoces.

Praeter ſola menſium nomina & depravata fortaſſe, at certe barbara, quae Gyraldus, Stephanus ex vetuſtis membranis protulit, deliteſcunt cetera, quae ad civilem

C Cap-

(1) Diſſer. V. ſect. 5. (2) Vid. Dod. Diſs. V. ſect. 4. (3) In Camillo.

Cappadocum annum intelligendum deſiderantur; quin horum menſium ſitus incertus inſuper atque perplexus ab Eruditis habetur, quod illorum nomina apud Scriptores illos, quos Cappadocia tulit, nullibi memorentur.

1. Τίριξ.	*Tirix.*
2. Ματα.	*Mata.*
3. Ξαναντερί	*Xanatheri.*
4. Μιθρί.	*Mithri.*
5. Α'πομεναμά.	*Apomenama.*
6. Αρθρά.	*Arthra.*
7. Τετύσία.	*Tetuſia.*
8. Ωσμωνία.	*Oſmonia.*
9. Σονδαρά.	*Sondara.*
10. Αρτανία.	*Artania.*
11. Αρταεςίν.	*Artaeſtin,*
12. Αραιότατα.	*Araeotata.*

Corcyraei.

Ad haec uſque tempora prorſus ignota & Scriptoribus indicta Corcyraeorum anni forma, menſiumque nomina fuere, nonnullique ſuſpicati ſunt, Corcyraeos menſes a Corinthiorum menſibus minime diſtingui, quod Corcyra a Corinthiis originem ritusque olim mutuata fuerit. Verum celeberrimum Marmor a Montfauconio editum & illuſtratum (1), iterumque a doctiſſimo Quirino nonnullis in locis reſtitutum, huiuſmodi coniecturam, ſeu argumentum refellit (2). Itaque in eodem tres Corcyraeorum menſes prodiere, quorum ordinem, quem in anno occupaverant, ita ex ipſo marmore Montfauconius & Corſinus deducunt.

1. Α'ρτεμίτιος.	*Artemitius.*
11. Μαχανής	*Machanes,*
12. Ε'ύκλιος.	*Euclius.*

Corin-

(1) In Diario Italico Cap. 28. pag. 411. (2) Prim. Corcy. Cap. XIX.

Corinthii.

Cum ea, quae in concinnanda Corinthiorum periodo, menſium nomine, ſitu, numero definiendo protulerit Dodvellus [1], perſpicuis oppido, certiſque characteribus, partim ambigua, partim manifeſtiſſime falſa evicerit Corſinus [2], mihi ſolummodo monendum ſupereſt, *Carnium* undecimam in menſium ordine ſedem, *Panemum* vero decimam tenuiſſe, primumque Metagitnioni, alterum Hecatombaeoni Attico reſpondiſſe, ut egregie contra Dodvellum Corſinus oſtendit. Incertum vero an ceteri menſes omnes ad Corinthios potius, an ad Siculos, an ad alias gentes ſpectaverint, eorum nonnulli ad ſequiora certe tempora referendi videntur, quando in Corinthiorum annis Macedonum menſes recepti fuerant.

10. Πάνεμος	*Panemus.*
11. Καρνεῖος.	*Carnius.*
Γορπιαῖος.	*Gorpiaeus.*
Δῖος.	*Dius.*
Πανθεών.	*Pantheon.*
Ποσειδεών.	*Poſideon.*

Cretenſes.

Plurima profecto Scriptores de Cretenſibus ediderunt, nuſquam tamen apud illos, ſi *Metarchium* unum excipias, Cretenſium menſes, annique forma memoratur. Nuperrime ſolum ex Graecis Marmoribus eorum nomina, Gruteri, Montfauconii, & Rheineſii opera, affulſere, quae univerſa Chishullus [3] collexit, latine reddidit, caſtigavitque; verum integra eorum ſeries adhuc deliteſcit, & perplexus adhuc dubiuſque haberi debet locus, qui vulgo illis tribuitur.

C 2 Γμά-

(1) Diſſ. VI. ſect. 5. 6. 7. 8. (2) Faſt. Att. Diſſ. XIV. numer. 22
(3) Antiquit. Aſiat. pag. 129.

Ἴμάλιος.	*Imalius*
. . . δάκιος.	. . . *dacius*.
Δρομεῖος.	*Drometus*.
Διοσαλλόσιος.	*Dioſulloſius*.
Ἐλευσίνιος.	*Eleuſinius*.
Ἐτεοθερμολαῖος.	*Eieoibermolacus*.
Ἡραῖος.	*Heraeus*.
Ἀρταμίτιος.	*Artamitius*.
Μετάρχιος.	*Metarchius*.

Cyprii.

Qui fuerint Cypriorum menſes, quaeve anni forma ab iis, priſcis praeſertim temporibus, adniberetur, divinare certe vix poſſumus, cum neque a Scriptoribus, neque a Marmoribus ullis eorum nomina indicentur. Corſinus [1] non immerito ſuſpicatur, Cyprios, cum Alexandro Tyrum obſidenti an. 1. Olym. 112. ſe dederint, Macedonicam periodum ac menſes, aliarum finitimarum gentium inſtar, amplexos fuiſſe; Cyprios vero menſes, qui modo in Scriptoribus ac Marmoribus occurrunt, eo tempore fuiſſe inſtitutos ac Romanis nominibus donatos, cum Cyprus Inſula a Caeſare Auguſto, poſt Cleopatrae Antoniique mortem, Romano populo eſt reſtituta. Poſterioribus certe temporibus, praeſertim Epiphanii aetate, Cyprii nonnulli Aegyptios, alii Macedonicos iterum menſes adhibuerunt. Omnium tamen, qui Cypriorum menſium ſeriem & nomina vulgarint, elegantiſſime illa expreſſit Harduinus [2] ſimulque Latina nomina ſubtiliter aeque ac feliciter excogitavit, ex quibus menſium ipſorum nomina veluti origine profluxerunt, ut in ſubiecta ſerie facile apparet.

1. Ἀφροδίσιος.	*Aphrodiſius*.	Veneris
2. Ἀπογονικός.	*Apogonicus*.	Soboles *fuit*
3. Ἀινικός.	*Aenecus*.	Aeneas, &

Ἰε-

(1) Diſſ. XIV. n. 14. (2) Numi Popul. illuſt.

4. Ἴȣλος.	*Iulus.*	Iulius
5. Καισάριος	*Caeſarius.*	Caeſar
6. Σεβαστός.	*Sebaſtus.*	Auguſtus
7. Αὐτοκρατορικός.	*Imperatorius.*	Imperator
8. Δημαρχεξȣσιος.	*Demarchexuſius.*	Trib. Poteſtatis
9. Πληθύπατος.	*Plethypatus.*	Coſ. ſaepiſſime
10. Ἀρχιερεύς,	*Archiereus.*	Pontifex Max.
11. Ἔσθιος.	*Eſthius.*	*ex* Familia
12. Ῥωμαῖος.	*Romanus.*	Romanorum

Delii.

Delios eandem anni formam ac principium, eadem menſium nomina, ipſorumque ſedem, ac Athenienſes, uſurpaſſe, adeo perſpicue Marmorum ope demonſtravit Corſinus (1), ut omnem ambigendi locum ſuſtuliſſe videatur. Quare monendum hic ſolum ſupereſt, Delios, licet Athenienſium more civiles annos computaverint, non tamen Athenienſium, ſed Deliorum Archontum nominibus eos deſignare conſueviſſe.

Delphici.

A veris initio, ſeu verno aequinoctio, ac proinde a 26. Aprilis Iuliani die civilis lunariſque Delphorum anni principium proceſſit, ut ingenioſe ſubtiliterque diſſerit Dodvellus (2). Ex eorum menſibus duos tantum huc uſque noverunt Eruditi, reliquos qui in ſubiecta ſerie recenſentur, Corſino debemus, qui ex Graecis Marmoribus illorum nomina eruit, ſimulque ſitum, quem menſes illi in anno ſortiebantur, inquiſivit feliciterque detexit (3).

1. Βύσιος.	*Byſius.*
2. Ἡρακλεῖος.	*Heraclius.*
Θεοξένιος.	*Theoxenius.*
Ἰλαῖος.	*Ilaeus.*
Βȣκάτιος.	*Bucatius.*

Δο-

(1) Diſs. XIV. n. 15. (2) Diſſ. V. ſect. 5, & 9. (3) Diſſ. XIV. n. 16.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Δάμος.	*Domus*.
Θηλύτιος.	*Thelutius*.
Συνίλιος.	*Synelius*.
Διονύσιος.	*Dionyſius*.

Elidenſes, aut Olympici.

Civilem Elidenſium annum a novilunio, quod aeſtivo ſolſtitio proximius fuiſſet, exordia ſumpſiſſe clare diſerteque in *Agoniſticis Diſſertationibus* demonſtravit Corſinus. Quia vero in primi Elidenſium menſis plenilunio Olympici ludi peragebantur, facile intelligetur eumdem primum menſem in Hecatombaeonem Atticum, Iuliumque Romanum incidiſſe. Inſtituta deinde Metonis Enneadecaëteride, hanc ab Elidenſibus Atticorum more adhibitam fuiſſe Dodvellus oſtendit (1). Tria ſolum eorum menſium nomina Scaliger omnium primus deprehendit (2), quorum in anno locum Dodvellus deinceps expoſuit (3). *Elaphium* nonum anni menſem fuiſſe Pauſanias aperte docuit (4). Duorum vero poſteriorum ſedes adhuc ignoratur. Quin etiam eos minime ad Elidenſes, ſed potius ad alias Graeciae gentes referendos eſſe, non dubiis argumentis innixus cenſet Corſinus (5).

9. Ἐλάφιος.	*Elaphius*.
Ἀπολλώνιος.	*Apollonius*.
Παρθένιος.	*Parthenius*.

Epheſii,

Quamvis perpauca illa Epheſiorum monimenta, quae vetuſtatis iniurias effugerunt, non ſatis liquido evincant, qua anni periodo, quibusve menſium nominibus uterentur Epheſii, cum tamen nonnulli Scriptores, Epheſiorumque Marmora (6) Atticos menſes praeſeferre videantur,

(1) Diſſ. IV. ſect. 9. (2) Emend. Temp. Lib. I. pag. 41. (3) Sect. 12. (4) Eliac. I. c. 13. (5) Diſſ. XIV. n. 17. (6) Vid. Maffeium de Siglis pag. 61.

tur, cumque Epheſii ab Athenienſibus originem, plurimoſque ritus ſortiti fuerint, nihil veriſimilius cum Corſino affirmaverim [1], quam Epheſios eadem civilis anni forma & initio, iiſdemque menſibus, ac Athenienſes, uti conſueviſſe. Sunt vero & alia nonnulla Epheſiorum monumenta [2] quae non Atticos, ſed Macedonum potius menſes non obſcure exhibent, quos recepiſſe videntur Epheſii, aliorum fere Graecorum inſtar, cum Macedones longe lateque per Graeciam imperium protulerunt.

Laconici.

Omnium primus Dodvellus ex variis Graecorum Scriptorum teſtimoniis lunarem Laconicum annum incepiſſe monſtravit *ab aequinoctio autumnali, vel ab illo potius civili novilunio, quod pro Cycli lege, aequinoctium illud proxime ſequi cenſebatur* [3]. Quapropter Laconici anni principium in Boedromione Attico contigiſſe debuit; atque adeo ſi quis Ephoros, Spartae magiſtratus, qui quotannis eligebantur, cum annuo Athenienſium magiſtratu, vel ipſorum Archontibus committere velit, intelliget Archonticum annum vel antiquitus a Gamelione, ſive poſtmodum ab Hecatombaeone menſe inchoatum, in duos Ephororum annos incidere. Ex duodecim vero menſibus illis, quos lunaris Laconicus annus complectebatur, quinque tantum in Scriptoribus memoratos Eruditi hactenus deprehenderunt. Cl. Maffeius ex quodam eximio Marmore, ad eodem doctiſſimis interpretationibus illuſtrato, tres Laconum menſes exſculpſit, qui ceteris adiungi debent, ſi vere Marmor ipſum ad Spartam ſpectaverit, quod adhuc incertum eſſe Corſinus exiſtimavit [4].

6. Te-

(1) Diſſ. XIV. n. 18. (2) Vid. Ioſephum Antiq. Lib. XIV. cap. 10. & Murat. Theſaur. nov. pag. 579. num. 1. (3) Diſſer. VIII. ſect. 5. (4) Diſſer. XIV. num. 20.

6. Γεραιςος.	*Geraeſtus*.
7. Ἀρτεμίσιος.	*Artemiſius*.
8. Ἑκατομβεύς.	*Hecatombeus*.
9. Φυλάσιος.	*Phlyaſius*.
11. Καρνεῖος.	*Carnius*.
Δελφίνιος.	*Delphinius*.
Διοσθιος.	*Dioſthius*.
Ἐλευσίνιος.	*Eleuſinius*.

Macedonici.

Acerrime ad haec uſque tempora decertarunt celebriores illi maiorum gentium Chronologi Scaliger, Petavius, Dodvellus, & Vſſerius in vera Macedonum menſium ſede definienda, iiſque cum Atticis menſibus invicem committendis ob implexum vitiatumque locum, qui in Philippi Regis epiſtola apud Demoſthenem reperitur (1), quem nuperrime ad priſtinam hiſtoriae fidem reſtituit mira felicitate Corſinus (2), atque ita Scriptorum diſſidio prorſus compoſito, vera Macedoniorum menſium ſeries tandem affulſit. Ergo civilis Macedonum annus, Athenienſium more lunaris erat, eiuſque principium ab autumnali aequinoctio veluti cardine ita deducebatur, ut florente Metonis Enneadecaëteride menſis *Dius* primam in civilibus annis ſedem occupaverit, adeoque Maemacterioni Attico, Romanoque Octobri reſponderit. At hic fuerat civilis anni cardo, & menſium ordo, quem Europaei Macedones adhibebant. Nam licet Syri, quos Epiphanius *Hellenes* appellat, communiorique voce *Syro-Macedones* dicuntur, civilem annum ab eodem illo autumnali aequinoctio exordirentur, eademque menſium nomina & ſeriem amplecterentur, primus tamen anni menſis apud ipſos non *Dius*, ſed *Hyperberetaeus* habebatur, qui apud alios Macedones poſtremus in anno collocabatur. Haec vero Syro-Macedonum recens periodus, ea eſt quam in Epiphanio, Suida, Alexandrino Chronico, Conciliorum Actis, itemque a Ty-

(1) Orat. de Corona. (2) Faſt. Att. Tom. 1. Diſſ. III. num. 21.

a Tyriis, Smyrnaeis, aliiſque gentibus uſurpatam conſpicimus, ut fuſe & eleganter a Noriſio demonſtratur in aureo celeberrimoque opere *De anno & Epochis Syro-Macedonum*; priorem alteram veteremque Macedonicorum menſium ſeriem Scriptores alii, praeſertim Ioſephus adhibuit. Quandiu vero mos fuerit Macedoniae populis hac anni forma, & menſium nominibus uti, definiri vix poteſt. Dodvellus oſtendit ſolares menſes, Iulianique anni rationem, longe poſt Iulii Caeſaris aetatem a Macedonibus adhibitam, cum priſcis fortaſſe menſium nominibus (1). In Ticinenſi marmore quod *Leone* & *Probiano* Coſs. hoc eſt anno Chr. 471. & in altero Florentino, quod *Honorio* XI. & *Conſtantino* II. Coſs. nempe anno Chr. 417. poſitum fuit, adhuc Macedonicorum menſium nomina occurrunt (2). Apud Europaeos Macedones menſium ſeries ita ſe habebat.

1. Δῖος.	*Dius.*
2. Ἀπελλαῖος.	*Apellaeus.*
3. Ἀυδιναῖος.	*Audynaeus.*
4. Περίτιος.	*Peritius.*
5. Δύστρος.	*Dyſtrus.*
6. Ξανθικός.	*Xanthicus.*
7. Ἀρτεμίσιος.	*Artemiſius.*
8. Δαίσιος.	*Daeſius.*
9. Πάνεμος.	*Panemus.*
10. Λῷος.	*Lous.*
11. Γορπιαῖος.	*Gorpiaeus.*
12. Ὑπερβερεταῖος.	*Hyperberetaeus.*

Smyrnaei.

Quae ad Smyrnaeorum periodum ac menſes ſpectare poterant, opportune ſuperius cum de Macedonum anno ageretur, explicavimus. Vnum quod intererat diſcrimen iterum proferre iuverit, Smyrnaeos nempe aliorum Syro-Macedonum inſtar, non in menſe *Dio* ſed in *Hyperbere-*

 taeo

(1) Differ. IV. ſect. 11. 12. (2) Vid. Maffe. de Siglis pag. 82. & Goſium Tom. III. Inſcrip. pag. 314.

taeo anni cardinem ſtatuiſſe. Verum ex hac menſium in anni exordio varietate, cum in deſignandis rerum geſtarum temporibus maxima ſubinde perplexitas irrepſiſſet, eiuſmodi confuſioni dirimendae, nova menſium nomina apud Smyrnaeos, ex menſium ipſorum ordine ac numero profecta, uſurpari coeperunt, ita ut non *Hyperberetaei*, aut *Dii*, ſed *primi* ac *ſecundi*, &c. nomine vocarentur, quod Vſſerius plurimis exemplis a Marmoribus Scriptoribuſque depromptis uberrime confirmat (1).

Teii.

Teios in civilis anni periodo cum Atticis conſpiraſſe, eamdemque ſervaſſe cum ipſis anni formam & menſium ordinem, ex paucis monimentis illis, quae ad haec uſque tempora pervenere, facile infertur. Etenim Teiorum monimenta nonnulla, Atticos menſes praeſeferre videntur, quorum unum ab eximio Marmore exſculpſit Corſinus (2), alter vero ab Anacreonte memoratur. Quaecumque de Teiorum menſibus hic indicavimus, facile de Pariis etiam ſupponi poterunt, licet Parii peculiares ſuos Archontes Eponymos eligerent, eoſdemque monimentis inſcriberent, quemadmodum de aliis etiam Inſulis, quae vel Athenienſium imperio ſuberant, vel ritus & leges ab ipſis acceperant, vel ipſorum coloniae fuerant, id affirmari facile poterit, quamvis in tanto Scriptorum ſilentio, ac monimentorum inopia, id certo affirmare non auſim.

De celebrioribus Graecorum Epochis aut Aeris.

Nihil celebrius apud veteres Scriptores quam Troianae urbis & imperii excidium, quod veluti limes ac terminus haberi ſolet, a quo Hiſtoriae veritas incipiat, cum ante Troianum bellum locus nonniſi fabulis relinquatur. Vt autem celeberrimam hanc Epocham definiamus, Eratoſthenes & Cato apud Dionyſium Halicarnaſ-
ſeum

(1) De anno Maced. Cap. 2. pag. 17. (2) Diſſert. XIV. n. 24.

ſeum Troiam dirutam eſſe docuerunt 432. annis ante quam Roma conderetur. Itaque Troianum excidium contigit anno P. I. 3961. ante Aeram Chriſtianam 1185. Longe Troiano excidio uſitatiores apud Graecos Scriptores in rerum geſtarum temporibus indicandis ſunt Olympiades. Dicebatur autem Olympias ſpatium 4. annorum civilium, quibus completi, atque ineunte 5. ludi in Piſa vel Olympia Elidis urbe in Iovis honorem circa ſolſtitium aeſtivum, ſimulque plenilunium Hecatombaeone menſe celebrari ſolebant. Primus porro ex Olympicis ludis illis, qui numerari, ac veluti temporis, rerumque geſtarum characteres adhiberi conſueverunt, ab Iphito Elidis Rege celebratus eſt an. P. I. 3938. ante Aeram Chriſtianam 776. ante Romanae urbis aedificationem 23. adeoque ab eo tempore Olympiadum initium in temporibus ſupputandis veluti cardine proceſſit. Reliquae celebriores Graecorum Epochae ſunt

	An.	Oly.	V. C.	Ant. Chr.
Bellum Marathonium.	3.	72.	264.	490.
Xerxis tranſitus in Europam & pugna apud Salaminam, ubi fuſus eſt Xerxes.	1.	75.	274.	480.
Initium belli Peloponneſiaci.	1.	87.	323.	431.
Eiuſdem belli finis.	1.	94.	350.	404.
Pugna Leuctrica.	2.	102.	383.	371.
Alexandri conflictus contra Darium apud Arbelam.	2.	112.	423.	331.
Alexandri interitus, eiuſque imperii diviſio.	1.	114.	431.	323.

Poſtremo adhibuerunt Graeci ſaepiſſime etiam Aeras Nabonaſſari, atque Seleucidarum, quas infra cum de Aegyptiis, & nummorum Epochis ſermo erit, commodius referemus, quemadmodum de anni ſupputandi ratione per Archontum nomina ab Athenienſibus aliiſque etiam Graecis uſurpata, poſtmodum differemus, ubi de illorum ſerie opportunius agendum erit.

CAPVT III.

De Aegyptiorum Periodo, Anno, Menſibus, atque nobilioribus Epochis.

CVm civilis Aegyptiorum annus menſiumque nomina apud Plutarchum, alioſque Graecos Scriptores ſaepiſſime memorentur, eorumque anni forma a nonnullis Graeciae urbibus uſurpata aliquando fuerit, de civilium Aegyptiorum annorum ratione, ſuprema ſaltem hic rerum capita proſequemur. Vetus ergo ac communis annus, quem a menſe *Thoth* exordiebantur Aegyptii, ita 365. dies continebat, ut menſium ſinguli *tricennarii* forent, ac poſt triceſimam ultimamque poſtremi menſis diem, quinque alii dies velut *Epagomenae* ſive adiuncti ſubiicerentur, quibus expletis, iterum menſis *Thoth*, ſive prima novi civilis anni dies inciperet, poſthabitis ſemper ſex illis horis, quibus quarto quoque anno intercalaris dies apud Romanos exſurgit. Exinde vero liquido patet Aegyptium hunc annum, ſi cum Iuliano compareturt, ſingulis quadrienniis ab illa Iuliani anni die, in quam olim Aegyptii anni cardo, ſive principium inciderat, integro unius diei ſpatio retrogradiendo aberrare. Siquidem in anno Iuliano praeter 365. dies, ſex inſuper horae, ideoque intercalaris dies, ſingulis quadrienniis continetur, quem in Aegyptio minime inſeri animadvertimus. Hinc annus ille, ſive eiuſdem anni cardo, *mobilis*, *vagus*, *retrogradus* paſſim apud Scriptores appellatur, ſemperque quadriennio exacto nova diſtinctaque anni Iuliani die incipiebat, proindeque anni tempora, ſolſtitia, aequinoctia in eo ſenſim mobilia per ſingulos menſium dies evagabantur. Verum ita retrogradus haberi debet, ut ipſius initium vel menſis Thoth, exacto 1460. annorum Iulianorum ſpatio, ad eamdem illam

Iam anni Iuliani diem, ex qua diſceſſerat, accuratiſſime reverteretur. Recentiorem Aegyptiorum anni formam, ſeu Actiacum annum, hic infra inter Epochas proxime ſubiiciendas, proferemus. Supereſt ergo menſium nomina & ſeriem in medium afferre.

1.	Θωὺθ.	*Thoth.*
2.	Φαωφί.	*Phaophi.*
3.	Α᾽θύρ.	*Athyr.*
4.	Χοιάκ.	*Choeac.*
5.	Τυβί.	*Tybi.*
6.	Μεχίρ.	*Mechir.*
7.	Φαμενώθ.	*Phamenoth.*
8.	Φαρμυθί.	*Pharmuthi.*
9.	Παχών.	*Pachon.*
10.	Παῦνί.	*Payni.*
11.	Ε᾽πιφί.	*Epiphi.*
12.	Μεσορῆ.	*Meſore.*

Epagomenae.

De nobilioribus Aegyptiorum Epochis.

Illuſtrior aeque ac uſitatior Aegyptiorum Epocha, praeſertim vero Alexandrinorum, ea eſt, quae vulgo *Actiaca*, & *Auguſtana* merito nuncupatur, quod nempe Auguſtus proximo poſt victoriam Actiacam anno, Antonio & Cleopatra ſublatis, victor Aegyptum ingreſſus decrevit, ut *dies, quo Alexandria capta eſt, feſtus haberetur, atque ab illo annorum deinceps numerandorum initium ſumeretur* (1). Incidit eo anno, quo ita fieri mandavit Auguſtus, prima dies menſis *Thoth*, ſive initium Aegyptiorum anni, in diem 29. Auguſti, quare huiuſce novi civilis anni cardo a die 29. Auguſti deinceps ſemper proceſſit, praeterquam ſi annus Iulianus biſſextilis foret, tunc enim a 30. Auguſti die deducebatur. Recepta hac nova civilis anni for-

(1) Dio Lib. LI.

forma, Aegyptii ad morem Iulianae periodi, retentis tamen priſcis menſium nominibus, annos computare coeperunt, quod ut accuratius fieret, quartis quibuſque exeuntibus annis, qui biſſextiles Iulianos annos proxime praecedebant, non quinque, ut in veteribus annis, ſed ſex Epagomenae adiungebantur, ideoque biſſextilis Aegypticrum annus, Iulianum intercalarem fere ſex menſium ſpatio antecedebat, cum in illo poſt quinque dies Epagomenae in anni fine, ſeu poſt diem 28. Auguſti, intercalaris dies adderetur, in anno vero Iuliano inter 24. ac 25. Februarii diem inſereretur. Invexit haec anni novitas perutilem in Aegyptiorum periodo varietatem; nimirum ut Thoth, qui antea mobilis, retrogradus, vaguſque fuerat, fixus deinceps eſſe coeperit, atque adeo civilis annus ab eo quem attulimus cardine, impoſterum ſemper inciperet. At monitum velim tamen veteris retrogradique anni formam, apud Aſtronomos adhuc ſuperfuiſſe, ut ex plurimis Ptolomaei atque Theonis obſervationibus, Nicolaus Averanius eruditiſſime demonſtravit (1). Recens haec Aegyptiorum Epocha, ſive nova civilis anni forma, initium ſortita eſt ſuum anno V. C. 724. ante Chriſtum 30. Non raro uſi ſunt etiam Aegyptii Scriptores, praeſertim Ptolomaeus ceterique Aſtronomi Epocha Nabonaſſari Babylonii regis, quod plurimae caeleſtium corporum obſervationes a Caldaeis peractae, & Nabonaſſari aera conſignatae, ſive inſcriptae, in Graeciam atque Aegyptum vulgatae deinceps fuerunt. Incipit haec aera anno primo Nabonaſſari, qui fuit Olym. VIII. V. C. 7. ante Chriſtum 747. cumque Aegyptiacos annos adhibeat, qui diebus 365. componuntur, illius initium incidit in diem 26. Februarii noſtri. Primus, itemque decimus nonus Diocletiani annus in imperio, apud Aegyptios, praeſertim Alexandrinos Chriſtianos Scriptores, duas Epochas condunt, quarum prima incipit 17. Septembris anno Chriſti 284. & Diocletiani aera appellatur, altera quae Martirum aera dicitur an. Chriſti 303. quo graviſſima Diocletiani perſecutio contra Chriſtianos incepit,

CAP.

(1) De Menſ. Aegy. Cap. 7. pag. 48. & Cap. 8. pag. 62.

CAPVT IV.

De Iudaeorum Anno & Menſibus.

ETiam Iudaeorum menſes a nonnullis Graecis Scriptoribus, praeſertim ab Ioſepho, ad rerum geſtarum tempora indicanda proferuntur. Quare iuverit Iudaeorum periodum leviter attingere; ut ſi forte huiusmodi menſes occurrerint, eos cum Graecorum gentium menſibus committere, ac proinde legittimum narratarum rerum tempus definire quis poſſit. Civilis Iudaeorum periodus, cuius initium in ver incidebat, lunaris fuerat; menſium numerus duodecim, tredecim vero ſi annus Embolimus eſſet; menſis qui adiiciebatur, *Ve-Adar* ſive ſecundi *Adar* nomine diſtinguebatur. Aliquando vero detrahebant, aut addebant aliquam diem in menſe, prout neceſſarium videbatur ex novilunii obſervatione, quo tantummodo, Cyclorum loco, annum & menſium principia moderabantur; hinc eorum menſes aliquando 29. aut 30. aut 31. dies complectebantur, prout novilunium poſtulabat. A decima quarta luna primi menſis, quae in Sacris Litteris *menſis novorum* dicitur [1], quaeque ſolemnis Paſchalis dies eſſe debebat, Embolimus annus omnino pendebat. Nam ſi poſtremus anni menſis adeo propere ad finem vergeret, ut maior pars novi menſis praeteritura foret ante aequinoctium vernum, tunc huiuſmodi novus menſis praeteriti anni iuris erat, qui Embolimus idcirco vocabatur, ac menſis qui deinde proxime illi ſuccedebat, primus novi anni menſis habebatur. Menſium ſeriem & nomina, eorumque cum Macedonicis conſenſum ex variis Ioſephi teſtimoniis iuxta Dodvellum contexímus [2].

1. Ni-

(1) Exod. Cap. 34. v. 18. (2) Diſſer. IX. ſect. 21.

1. Niſan cum	*Xanthico.*	Antiq. I. c. 3. II. c. 6. III. c. 9. 10. XI. 4.
2. Iiar	*Artemiſio.*	Antiq. VIII. c. 2.
3. Sivan	*Daeſio.*	
4. Tammuz	*Panemo.*	
5. Ab.	*Loo, & Hecatombaeone.*	Antiq. IV. c. 4.
6. Elul.	*Gorpiaeo.*	
7. Tiſri.	*Hyperberetaeo.*	Antiq. III. c. 10. VIII. 2.
8. Marcheſvan.	*Dio.*	Antiq. I. c. 4.
9. Kisleu.	*Appellaeo.*	Antiq. XII. c. 7. & 11.
10. Tebeth.	*Audynaeo.*	
11. Sebeth.	*Peritio.*	
12. Adar.	*Dyſtro.*	Antiq. IV. c. 8. XI. c. 6.

Atque haec ea ſunt, quae de Iudaeorum periodo, menſium ſerie hoc loco omnino innuenda eſſe duximus, quod illarum rerum cognitio Latinae Graeciaeque Antiquitatis cultoribus neceſſaria videri poteſt. Verum Iudaeorum Epochas, quarum nulla mentio in profanis Hiſtoriis, veteribuſque Scriptoribus occurrit, conſulto praeterimus. Ceterum qui, ea quae de variis Iudaeorum Cyclis atque periodo diſputantur, aſſequi deſiderat, ex uberrimis Scaligeri (1), Petavii (2), atque Dodvelli (3) fontibus haurire commode poterit.

CAP.

(1) Emend. Temp. Lib. II. (2) Doct. Temp. Lib. II. (3) Diſs. IX. ſect. 21.

CAPVT V.

De quorumdam populorum menſibus in Graeco quodam Mediceo-Laurentiano Codice memoratis, olim quidem editis, nunc vero primum illuſtratis.

QVae de variis gentium periodis, menſiumque nominibus complexi ſumus, ea profecto ſunt, quae vel a Graecis Latiniſque Scriptoribus memorantur, vel ex vetuſtatis monimentis Eruditorum ſolertia & labore feliciter eruta, atque expreſſa fuere. Eximiis eiuſmodi monimentis accenſeri merito debet perantiquus Graecus Codex in Caeſarea Mediceo-Laurentiana Bibliotheca Florentiae adſervatus, in quo praeter Canones Manuales Ptolomaei cum Theonis expoſitione, & Faſtos Conſulares ab Antonino Imperatore uſque ad Modeſtum & Arentheum, & ſeriem inſuper Imperatorum ad Leonem Philoſophum uſque, integra quorumdam Aſiae populorum menſium ſeries reperitur, quorum ſinguli dies cum ſingulis Romanorum menſium diebus invicem conferuntur. Porro eximium hoc vetuſtatis monimentum maximi a ſapientiſſimis viris habitum fuiſſe video, & merito habendum eſſe crediderim. Siquidem Hadrianus Relandus tanti Graecos illos Conſulares Faſtos fecit, ut ope Antonii Mariae Salvini illorum exemplar aſſecutus, eos Fratris ſui Conſularibus Faſtis adiiciendos curaverit; quemadmodum Cl. Lamius Imperatorum ſeriem edendam cenſuit, quod etiam de illis variarum gentium menſibus, ut modo ſum dicturus, praeſtavit. Longe tamen maiori in pretio, ea Codicis pars haberi debet, quae quorumdam populorum integram menſium ſeriem complectitur, quod eius ope illarum gentium omnia menſium nomina innoteſcant, quorum plurima partim adhuc dubia cenſebantur, partim vero prorſus ignorabantur. Quid vero quod huiuſce Codicis praeſidio, illico patent Romanorum menſium dies, ex quibus ſin-

ſingula apud gentes illas menſium initia proficiſcebantur, quo ſane praeſidio incredibilis Antiquitatis ſtudio in temporum & geſtorum veritate aut definienda, aut reſtituenda, fulgor accedit. Viderat haec ſane omnium primus Ioannes Maſſonius vir eruditiſſimus, tantique ea praeſertim menſium nomina fecit, ut illa eruditorum hominum commodo edenda cenſuerit. Id ſane facile aſſequor ex praefatione Hadriani Relandi ad appendicem Faſtorum Conſularium Fratris ſui. Etenim in ea dum de Conſularibus Faſtis, qui in hoc Laurentiano Codice continentur, nonnulla praefatur, oſtenditque hoſce Mediceos Faſtos, eoſdem prorſus eſſe ac illos, quos Theonis nomine vulgaverat Dodvellus, ſubdit: *Ceterum in hac opinione me confirmavit Ioannis Maſſoni viri eruditiſſimi obſervatio, quam Hemerologio menſium variarum gentium, quod prelum exercet, inſeruit, faſtos illos conſulares, qui manu exarati extant in Bibliotheca Laurentiana Medicea pluteo XXVIII. numer. 26. & 12. eſſe eoſdem quos Dodvellus publici iuris fecerat, quibuſque nomen Theonis Heracliique praefixerat, & codicem Voſſianum apographum eſſe codicis Medicei*. Patet ergo obſervationem Ioannis Maſſoni circa eos Faſtos verſari qui hoc in Codice continentur, proindeque Hemerologium, *quod prelum exercet*, idem eſſe ac illud, quod Conſulares Faſtos ſeriemque Imperatorum in eodem Codice conſequitur. Ceterum an in publicam lucem horum menſium deſcriptio revera deinceps prodierit, definire non auſerim, cum neque illam inſpicere, neque ab eruditis viris quidpiam de illa reſcire licuerit. At Cl. Lamius haec ipſa menſium nomina in eodem Hemerologio perluſtratus, adeo illa ſuſpexit, & Antiquitatis incremento profutura merito exiſtimavit, ut revera tribus ab hinc annis illa ediderit (1), moxque nomina illa latine reddita protulit, adiectis inſuper ex ipſo Codice illis Romanorum menſium diebus, quibus ſinguli populorum menſes exordiebantur. Itaque ne labor hic noſter hac in parte deſiderari videretur, rem non modo utilem, ſed pro argumenti noſtri ratione neceſ-

(1) Nov. Let. anno 1748. num. 1. e 17.

ceſſariam duximus, horum menſium nomina ex ipſo Codice excribere, ceteriſque ſuperius relatis menſibus adiungere. Verum quo maior huic Hemerologio & fides atque exiſtimatio concilietur, atque ex eo utilitatem Antiquitatis cultores uberius capere valeant, ſingularum gentium menſibus animadverſiones noſtras adiecimus, quibus aut Scriptorum aut lapidum auctoritate Hemerologium illud illuſtraremus, prout a nobis conſtituta brevitas, & quandoque rei difficultas atque obſcuritas paſſa eſt. Sed age ad Hemerologium illud proprius accedamus. Hic illi titulus ab Auctore praefigitur ΗΜЄΡΟΛΟΓΙΟΝ ΜΗΝѠΝ ΔΙΑΦΟΡѠΝ ΠΟΛЄѠΝ, nempe *Hemerologium menſium diverſarum urbium*. Litterae menſium nomina exprimentes, omnes integrae, eximiae, & maximae ſunt ad quadratam figuram accedentes, modo auro, modo cinnabari eleganter depictae, omnibuſque antiquitatis characteribus inſtructae, eademque prorſus manu exaratae, qua ſuperiores Conſulares Faſti conſcripti ſunt, proindeque illorum Auctori Hemorologium hoc etiam tribuendum videtur. Vrbium ſeu populorum nomina, quibus menſes illi adſcribuntur, haec ſunt, *Romanorum*, *Alexandrinorum*, *Graecorum*, *Tyriorum*, *Arabum*, *Sidoniorum*, *Heliopolitarum*, *Lyciorum*, *Aſiae*, *Cretae*, *Cypriorum*, *Ephesi*, *Bythinorum*, *Cappadocum*. Ab eo, qui Ianuario Romano reſpondet, gentium menſe, ſemper exorditur Codex, proximeque ſubter ſingula menſium nomina tabulae conſequuntur, in quibus quaelibet menſium illorum dies, cum Romanorum menſium diebus committuntur. Nos vero ad alia properantes, ut brevitati conſulamus, ſingulis populorum menſibus, illam ſolummodo Romanam diem adiiciemus, ex qua menſium illorum exordium procedebat. Antequam vero Hemerologium illud ex ordine ſubiiciam, quod mihi ea menſium nomina primum contemplanti occurrit, hic ante illorum ſeriem praemittendum exiſtimo. Deprehendi enim ſingulas gentes illas in Hemerologio memoratas, & quemlibet illarum menſem, quem Codex cum Ianuario Romano comparat, eodem prorſus ordine, eodemque & gentium & menſium nomine in Saviliano Codice apud Vſ-

ſerium reperiri, & pari ratione committi [1], ut proinde facile uterque Codex ex uno eodemque exemplo expreſſus videatur. Iuverit ſane haec menſium nomina quae in Saviliano codice cum Ianuario Romano conferuntur, hic veluti in fronte reliquorum, quae ſumus inferius relaturi, primum oſtendere, ut quiſque per ſe non ſine voluptate haec comparare, & admirari facile poſſit.

Τυβί	*Tybi*.	Alexandrinorum.
Αὐδιναῖος.	*Audinaeus*.	Graecorum.
Ἀπελλαῖος.	*Apellaeus*.	Tyriorum.
Αὐδιναῖος.	*Audinaeus*.	Arabum.
Δῖος.	*Dius*.	Sidoniorum.
Θωριν.	*Thorin*.	Heliopolitarum.
Δῖος.	*Dius*.	Lyciorum.
Ποσειδεών.	*Poſideon*.	Athenienſium.
Μετάρχιος.	*Metarchius*.	Cretenſium.
Ἰούλιος.	*Iullus*.	Cypriorum.
Περίτιος.	*Peritius*.	Epheſiorum.
Διονυσιος.	*Dionyſius*.	Bithynorum.
Λύτανος.	*Lytanus*.	Cappadocum.

Porro tanta Codicis noſtri cum Saviliano concordia atque conſenſus in menſibus illis cum Ianuario Romano comparatis, adeo me erexit, & ad eos proferendos illuſtrandoſque excitavit, ut nullus dubitem quin ceteri quoque menſes cum ceteris Romanorum menſibus apprime concurrant, illiſque gentibus ſint revera adiudicandi, quibus a Laurentiano Codice tribuuntur, cum ſemper apud ſapientes viros maximi argumenti loco habitum fuit, quod ex duorum codicum miro conſenſu procedit. Igitur ut Romanos menſes omittam, reliquarum gentium ordo, ac menſium ſeries ex Codice ipſo ita ſe habet.

ΑΛΕ-

(1) Vſſer. de Anno Maced. Cap. IV.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ.	Alexandrinorum.	Initium.
ΤΥΒΙ.	*Tybi.*	*VI. Kal. Ian.*
ΜΕΧΙΡ.	*Mechir.*	*VII. Kal. Feb.*
ΦΑΜΕΝΩΘ.	*Phamenoth.*	*V. Kal. Mart.*
ΦΑΡΜΟΥΘΙ.	*Pharmuthi.*	*VI. Kal. April.*
ΠΑΧΩΝ.	*Pachon.*	*VI. Kal. Maii.*
ΠΑΥΝΙ.	*Payni.*	*VII. Kal. Iun.*
ΕΠΙΦΙ.	*Epiphi.*	*VII. Kal. Iul.*
ΜΕϹΟΡΙ.	*Meſori.*	*VIII. Kal. Aug.*
ΘΩΘ.	*Thoth.*	*IV. Kal. Sept.*
ΦΑΩΦΙ.	*Phaophi.*	*IV. Kal. Oct.*
ΑΘΥΡ.	*Athyr.*	*V. Kal. Nov.*
ΧΟΙΑΚ.	*Choeac.*	*V. Kal. Dec.*

Primi gentium menſes, quos Graecus Codex exhibet, ſunt menſes Alexandrinorum, quorum nomina, eadem penitus ſunt ac illa menſium Aegyptiorum, quos ſupra ſuo loco retulimus; & revera conſtat apud Eruditos, Alexandrinos non diverſa ab Aegyptiis menſium nomina uſurpaſſe. Menſis *Tybi* initium in VI. Kal. Ian. ſive 27. Decembris diem incidere oſtendit laudatus Codex, quod mirifice congruit cum iis, quae ſupra protulimus de Actiaco anno, ſive de recentis Aegyptiorum anni cardine, Alexandria capta inſtituto. Monuimus enim in 29. *Auguſti* die anni principium, ſeu menſis *Thoth* Auguſti decreto ſtatutum fuiſſe, proindeque ſi menſis *Thoth* initium cum 29. Iuliani Auguſti die concurrebat, menſis *Tybi* principium in 27. Decembris diem, hoc eſt in VI. Kal. Dec. incidere debet. Suffragantur huic Codici Aetius Medicus & Iſaacus Argyrus (1), quorum uterque Alexandriae vixit, atque menſem *Thoth* cum Septembri Iuliano, ut in MSS. noſtro habetur, committit; & inſuper Beda, qui extremum *Meſori* diem cum 23. Auguſti die co-

(1) Apud Gyral, de Menſib.

coniungit, quod ita fieri debuit etiam iuxta Codicem noſtrum, in quo *Meſori* VIII. Kal. Aug. ſeu 25. Iulii die exorditur, & exire proinde debet 23. Auguſti die, quem Epagomenae conſequebantur. Neque vero morari nos debet quod huiuſmodi menſes, non Aegyptii, ſed Alexandrini in hoc Codice inſcribantur. Marmora enim & Scriptores id etiam monent. Siquidem in eximio marmore apud Gruterum [1] habetur, *pridie nonas Maii, quae dies eſt undecima menſis Pachon iuxta Alexandrinos*. Obiter adverto etiam iuxta Codicem noſtrum pridie nonas Maii, ſeu 6. diem Maii, concurrere cum undecima die menſis *Pachon*, cuius initium VI. Kal. Maii, ſeu 26. Aprilis die in Mediceo MSS. habetur. Et Theon [2] Lunae coniunctionem, quae anno Nabonaſſari 1112. *viceſima quarta Thoth* Aegyptii die contigerat, in viceſimam ſecundam *Payni* Alexandrini diem incidiſſe docet, Lunaeque oppoſitionem, quae in *ſextam* Phamenoth Aegyptii diem inciderat, viceſima nona Athyr Alexandrini die contigiſſe narrat. Ex quibus auctoritatibus ulterius coniicio, quod civilis Aegyptiorum annus a civili Alexandrinorum anno diſtingui debeat, licet iiſdem menſium nominibus componeretur, cum laudata teſtimonia Aegyptiorum menſes cum illis Alexandrinorum una componant, quod ex altera certe harum cauſſarum fieri omnino debuit, vel quia fortaſſe Alexandrini a fixo conſtantique Thoth annum auſpicabantur, Aegyptii vero retrogradum Thoth iuxta veterem anni formam conſtantiſſime conſervarent, ſive potius quod in laudatis teſtimoniis Aegyptii anni nomine *Aſtronomici* ſolum intelligendi ſint, atque Alexandrinorum nomine civiles anni ab Aegyptiis uſurpati indicentur. Poſtremo ex hoc Codice mirifice etiam confirmatur Scaligeri, Petavii, Noriſii ſententia, nuperrime a Corſino iterum illuſtrata & afferta, qua Alexandrinos ſaltem fixo immobilique anni cardine poſt Actiacam victoriam uſos fuiſſe contendunt, quam opinionem Averanius [3], inde Maffeius [4] non una tantum de cauſſa in dubium revocarunt, exiſtimantes Aegy-

(1) Pag. 214. numer. 2. (2) In Ptol. Libr. VI. Cap. 3. & 8. (3) De Menſ. Aegy. (4) Gal. Antiq Epiſ. VIII.

gyptios & Alexandrinos annos, ipſorumque cardinem ſemper mobilem vagumque fuiſſe.

ΕΛΛΗΝΩΝ.	Graecorum.	Initium.
ΑΥΔΙΔΑΟΣ.	*Audidaeus.*	*Kal. Ian.*
ΠΕΡΙΤΙΟΣ.	*Peritius.*	*Kal. Febr.*
ΔΥΣΤΡΟΣ.	*Dyſtrus.*	*Kal. Mart.*
ΞΑΝΘΙΚΟΣ.	*Xanthicus.*	*Kal. April.*
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.	*Artemiſius.*	*Kal. Maii.*
ΔΕΣΙΟΣ.	*Daeſius.*	*Kal. Iun.*
ΠΑΝΗΜΟΣ.	*Panemus.*	*Kal. Iul.*
ΛΩΟΣ.	*Lous.*	*Kal. Aug.*
ΓΟΡΠΙΕΟΣ.	*Gorpieus.*	*Kal. Sept.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.	*Hyperberetaeus.*	*Kal. Oct.*
ΔΙΟΣ.	*Dius.*	*Kal. Nov.*
ΑΠΕΛΛΑΙΟΣ.	*Apellaeus.*	*Kal. Dec.*

Quamvis per Graeciam, imo per Aſiam Macedonum anni forma, menſium nomina paſſim adhiberentur, quod de Macedonum menſibus differentes ſuperius obſervavimus, qui tamen Graecorum nomine hoc loco a Codice noſtro deſignantur, ſunt Syro-Graeci, nempe Antiocheni, Laodiceni, Seleucienſes, Caeſarienſes, aliique populi in Syria, quos Epiphanius etiam Ελλήνων voce nuncupavit. Reges enim e gente Macedonum Syriam occupantes, nova oppida novaſque urbes in ea condiderunt, aut reſtaurarunt in quibus deinde Macedonum menſes invexerunt. Profecto Seleucos Antiochia, Seleucia, Laodicea, aliiſque urbibus extructis, & Macedonibus militibus pro coloniis in eaſdem deductis, Macedonum mores, iura & menſium nomina in iiſdem conſtituiſſe, Syrorum hiſtoriae teſtantur. Quod vero de hiſce Syro-Graecis Codex hic noſter ſit intelligendus, & menſium ordo, eorumque cum Romanis comparatio, & menſium inſuper initia ſingulis Romanorum menſium Kalendis addicta manifeſtiſſime evincunt. Conſtat enim horum

Grae-

Graecorum menſes aequali dierum numero cum Romanis in anno ſolari decurriſſe. Sexcenta fere, ut id oſtendam, mihi undequaque occurrunt exempla, quibus tamen temperandum eſt, & unum aut alterum de ſingulis hiſce populis proferam. S. Epiphanius [1] tradit Chriſtum Dominum baptizatum fuiſſe *ante ſextum Iduum Novembrium*, nempe die 8. eiuſdem menſis; *iuxta Graecos aut Syros, Dii menſis octava die*. Tehophilus Patriarcha Alexandrinus tradit in prologo Cycli Paſchalis, aequinoctium vernum contigiſſe *viceſimo primo Martii*, *iuxta Antiochenos Dyſtri XXI*. Euſebius [2] Caeſareae Epiſcopus tradit Hadrianum martyrem occiſum *quinto die* menſis *Dyſtri*, *ideſt ante diem tertium nonas Martias*, nempe die 5. S. Anatholius Epiſcopus Laodiceae, in Canone Paſchali apud Euſebium [3] narrat novilunium primum ſui Cycli Paſchalis futurum *die 22. menſis Dyſtri*, *ut autem Romani dicerent*, *ante diem XI. Kal. Aprilium*, hoc eſt 22. Martii. Evagrius denique, & Auctor Chronici Alexandrini, qui Antiochenos menſes paſſim uſurpant, ſemper eosdem conſtanter componunt & in menſium ſerie, & in dierum numero, pro ut in Codice habetur. Neque audiendus hoc loco Samuel Petitus [4], qui de anno ſolari Antiochenorum diſſerens, omnes illorum menſes fuiſſe tricenarios contendit, quibus in exitu anni dies quinque Epagomenarum adiungit. Etenim illi impoſuit minus recta interpretatio Canonis XX. Synodi Antiochenae, in quo legerat, *Alteram vero Synodum fieri Idibus Octobris*, *quae dies eſt decima Hyperberetaei*. Verum mendum ſubeſſe probant diverſae Veterum interpretationes. Dionyſius Exiguus, qui floruit anno Chriſti D. ita eum Canonem latine reddidit, *ſecunda vero Synodus fiat Idibus Octobris*, *ideſt decimo quinto die menſis Octobris*, *quem Hyperberetaeum Graeci vocant*, quod etiam aliae interpretationes exhibent, ut videre eſt apud Noriſium [5]. Vtinam pari facilitate oſtendi poſſet, quis ex hiſce memoratis menſibus pri-

(1) Ad Haereſim LI. Allogorum. (2) Lib. VIII Hiſ. Ecclef. Cap 21. (3) Lib. VII. Cap. 22. (4) Lib. IV. Eclog. Chronol Cap. 21. (5) Diſſ. III. Cap. 2.

primum in civili Syro-Graecorum anno locum occupaverit. Decertarunt & adhuc decertant ſapientiſſimi viri. Communior, proindeque veriſimilior opinio illorum eſt, qui a menſe Hyperberetaeo, ſeu Romano Octobri, Antiochenos praeſertim & Laodicenos anni initium deduxiſſe contendunt.

ΤΥΡΙΩΝ.	Tyriorum.	Initium.
ΑΠΕΛΛΑΣ.	*Apellas.*	*XV. Kal. Ian.*
ΑΥΔΝΑΙΟΣ.	*Audnaeus.*	*XVI. Kal. Febr.*
ΠΕΡΙΤΙΟΣ.	*Peritius.*	*XIV. Kal. Mart.*
ΔΥΣΤΡΟΣ.	*Dyſtrus.*	*XV. Kal. April.*
ΞΑΝΘΙΚΟΣ.	*Xanthicus.*	*XIV. Kal. Maii.*
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.	*Artemiſius.*	*XIV. Kal. Iun.*
ΔΑΙΣΙΟΣ.	*Daeſius.*	*XIII. Kal. Iul.*
ΠΑΝΗΜΟΣ.	*Panemus.*	*XIII. Kal. Aug.*
ΛΩΟΣ.	*Lous.*	*XIII. Kal. Sept.*
ΓΟΡΠΙΕΟΣ.	*Gorpieus.*	*XIII. Kal. Oct.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.	*Hyperberetaeus.*	*XIV. Kal. Nov.*
ΔΙΟΣ.	*Dius.*	*XIV. Kal. Dec.*

Macedonum annum & menſes Tyriis adiudicat Codex noſter, quod nos utique de Macedonum anno ſermonem habentes innuimus. Tempus vero, quo Tyrii hoſce menſes receperunt, fuit anno 3. Olymp. 140. urbis Romae 536. cum Antiochus magnus ea urbe Theodoti Aetoli ducis dolo occupata (1), intra Seleucidarum regnum Tyrum cenſendam conſtituit, ac Tyrii proinde Macedonum menſibus uti coeperunt. Ab Hyperberetaeo menſe, cuius initium in XIV. Kal. Nov. hoc eſt in 19. Octobris incidebat, ut habet Codex, Tyriorum annus proceſſit. Quam vere deinde ceteri menſes eo ordine conſequerentur, eorumque initium Iulianos menſes finderet, prout MSS. exhibet, ex duobus Tyriae Eccleſiae eximiis moni-

(1) Polyb. Lib. V.

nimentis adeo confirmatur, ut citra dubium omne crediderim, veram Tyriorum anni formam huius Codicis praeſidio innoteſcere. In Synodo Calcedonenſi Act. IX. recitantur geſta apud Tyrum in Cauſſa Ibae Metropolitae Edeſſeni, in cuius initio habetur; *Menſis Peritii die decima, ſecundum Romanos vero Februarii quinta, & viceſima*. In Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha Act. V. recitantur geſta Synodi apud Tyrum ab Epiphanio Metropolita celebratae *Menſe ſecundum Tyrios Loo die viceſima octava, ſive Septembris decima ſexta*. Porro id etiam iuxta Codicis noſtri ſupputationem contingere neceſſe eſt. Peritius enim incipit XIV. Kal. Mar. hoc eſt die 16. Februarii, illius ergo decima dies cum die 25. Februarii coniungitur, quemadmodum ſi Lous ex eodem Codice exorditur XIII. Kal. Sept. procul dubio illius 28. dies cum 16. Septembris apprime decurret. Itaque Tyriorum menſium ſeries, dierumque numerus menſibus illis addictus, idem & ex Tyriae Eccleſiae monimentis & ex Codice noſtro exoritur. Video hic ego huiuſce Laurentiani MSS. praeſidio adeo confirmari, illuſtrarique eam Tyriorum anni formam, quam eruditiſſimus Noriſius protulit, ut illius gloriae detrahere viderer, ſi id monere praetermitterem. Viderat oculatiſſimus vir ille diſſidentes Scaligeri, Petavii, Petiti, & Ricciolii de Tyriorum anni menſura, & menſium ordine opiniones aegre defendi poſſe, propterea quod illorum nonnulli in Tyriorum anno Epagomenas eſſe adiiciendas contendebant, alii vero, qui eaſdem reſpuebant, ignorare ſe fatebantur quibus Tyriorum menſibus triginta dies tribuendi forent, quibuſve illorum altera inſuper dies eſſet adiungenda. Ergo Noriſius illorum ſententiis egregie primum confutatis, ex nonnullis Tyriae Eccleſiae monimentis veram Tyriorum anni formam primus elicuit, menſium ſeriem digeſſit, quorum quinque proxime ſibi ſuccedentes triginta & una inſuper die, ceteri vero triginta tantum diebus conflarentur, eoſque cum Romanis commiſit, deſignavitque qua cuiuſque Iuliani menſis die quilibet Tyriorum menſis exordiretur. Egregia autem haec Tyriorum anni for-

forma a Noriſio omnium primo excogitata, adeo in menſium ordine, dierum numero ſingulis menſibus adſcripto, eorumque cum Romanis conſenſu mirifice conſpirat cum ea, quam Codex noſter praeſefert, ut ab eo illam Noriſius exſcripſiſſe videatur. Neque deeſt ſuſpicioni locus. Etenim eadem diſſertatione Cap. I. prodit Noriſius Laurentianum Pluteum XXVIII. nempe eum in quo Codex noſter adſervatur. Verum a Noriſio hunc Codicem minime conſultum fuiſſe crediderim. Praeterquamquod enim pro ingenii ſui more, atque ingenuitate id faſſus fuiſſet, animadvertendum praeterea Tyriorum anni formam a Noriſio exhibitam ex Tyriae Eccleſiae monimentis liquido innoteſcere, ut proinde ex illis revera illam eruerit, abſque Codicis ullius praeſidio; neque refert quod in eadem Diſſertatione Pluteum XXVIII. proferat Noriſius; non enim noſtrum, ſed alium prorſus codicem, nempe ſignatum numero XIII. eiuſdem plutei prodit, neque de Tyriorum menſibus ibi, ſed de aliquibus Graecorum compendioſe ſcribendi notis differitur. Vt autem quiſque per ſe Tyriorum anni Diagramma iuxta Noriſium cum Codice noſtro conferre poſſit, ſapientiſſimique viri admirari ſolertiam, gratiſſimum fore duximus, ſi hoc loco Tyriorum anni formam iuxta Noriſium ſubiiceremus.

Diagramma Anni Tyriorum iuxta Noriſium.

Menſes Tyriorum.	Dierum.	Incipiunt.
Hyperberetaeus.	30.	Octobris XIX.
Dius.	30.	Novembris XVIII.
Apellaeus.	30.	Decembris XVIII.
Audynaeus.	30.	Ianuarii XVII.
Peritius.	30.	Februarii XVI.
Dyſtrus.	31.	Martii XVIII.
Xanthicus.	31.	Aprilis XVIII.
Artemiſius.	31.	Maii XIX.
Daeſius.	31.	Iunii XIX.

F 2 Pa-

Panemus.	31.	Iulii XX.
Lous.	30.	Auguſti XX.
Gorpiaeus.	30.	Septembris XIX.

ΑΡΑΒΩΝ.	Arabum.	Initium.
ΑΥΔΙΔΑΙΟϹ.	*Audidaeus.*	*XVI. Kal. Ian.*
ΠΕΡΙΤΙΟϹ.	*Peritius.*	*XVII. Kal. Febr.*
ΔΥϹΤΡΟϹ.	*Dyſtrus.*	*XV. Kal. Mart.*
ΞΑΝΘΙΚΟϹ.	*Xanthicus.*	*XI. Kal. April.*
ΑΡΤΕΜΙϹΙΟϹ.	*Artemiſius.*	*XI. Kal. Maii.*
ΔΑΙϹΙΟϹ.	*Daeſius.*	*XII. Kal. Iun.*
ΠΑΝΗΜΟϹ.	*Panemus.*	*XII. Kal. Iul.*
ΛΩΟϹ.	*Lous.*	*XIII. Kal. Aug.*
ΓΟΡΠΙΕΟϹ.	*Gorpieus.*	*XIV. Kal. Sept.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤ.	*Hyperberetaeus.*	*XIV. Kal. Oct.*
ΔΙΟϹ.	*Dius.*	*XV. Kal. Nov.*
ΑΠΕΛΛΑΙΟϹ.	*Apellaeus.*	*XV. Kal. Dec.*

Arabes illi, quibus Macedonum menſes hoc loco tribuuntur, non ſunt revera intelligendi Arabiam prope dictam incolentes populi, qui longe alia menſium nomina uſurparunt, ſed nonnullae Syriae gentes, urbeſque Arabiae finitimae, quarum aliquae partim aliquando Arabibus paruerunt, partim in altera Syriae diviſione inter Arabiae fines cenſitae ſunt. Conſtat enim, ut tradit Ioſephus [1], ob ſuborta inter regnantes in Syria Macedones diſſidia, Syrorum imperii partem irruentes Arabes ſibi arrogaſſe. *Coeles Syriae regnum*, ait Ioſephus, *Aretas* rex Arabum *adipiſcitur, vocatus ad imperium a Damaſcenis propter odium, quo perſequebantur Ptolomaeum Mennaeum*; quod fatum ſubire coactae ſunt Calcis, Dora, Tripolis, Beroeaea, & Philadelphia, aliaeque urbes in Syria. Inſuper vero Philadelphia, *illuſtris Syriae urbs*, ut ait Stephanus.

(1) Lib. XIII. & XIV.

nus, non ſolum Arabibus paruit, ſed in altera quoque provinciarum Orientis diviſione ſub Chriſtianis Imperatoribus Arabiae adiudicata fuit. Ammianus [1] Arabiam deſcribens, ait; *Haec quoque civitates habet Boſtram & Geraſam atque Philadelphiam, &c.* quod confirmat D. Hieronymus in illa Cap. 2. Sophoniae: *& blaſphemias filiorum Ammon*, ait: *quae & ipſa urbs Arabiae ſecunda poſt Boſtram, Philadelphia*. Quae hic de hiſce populis urbibuſque delibavi, commode etiam de quamplurimis aliis probari poſſent. Cum vero memoratae urbes, aliaeque quamplurimae, quas aut Macedones erexerunt, aut quibus Macedones imperarunt, Macedonum menſium nomina iam antea adoptaſſent, eoſdemque etiam conſtanter retinuiſſent poſtquam in Arabum poteſtatem inciderunt, hinc Macedonum menſes Arabibus Codex noſter adiudicat. Sane id liquido evincit & horum menſium ordo, eorumque cum Romanis comparatio, quae pari ratione apud hoſce populos, ac apud Syro-Graecos nuper memoratos ſe habet, ut praeteream de menſium ipſorum inflexione, quorum nomina aeque, ut quiſque per ſe poteſt animadvertere, apud has gentes ac apud Syro-Graecos inflectebantur. Ceterum nihil refert nonnullorum dierum diſcrimen, quo in menſibus ineundis has gentes a Syro-Graecis diſſenſiſſe obſervatur. Id enim paſſim apud Syriae populos, eoſdem licet Macedonum menſes uſurparent, intueri licet, ut Noriſius etiam animadvertit [2], atque ex hoc ipſo Codice facile deprehendi poteſt.

ϹΙΔΟΝΙѠΝ.	Sidoniorum.	Initium.
ΔΙΟϹ.	*Dius.*	*Kal. Ian.*
ΑΠЄΛΛΙΟϹ.	*Apellaius.*	*Kal. Febr.*
ΑΥΔΝΑΙΟϹ.	*Audnaeus.*	*Kal. Mart.*
ΠЄΡΙΤΙΟϹ.	*Peritius.*	*Kal. April.*
ΔΥϹΤΡΟϹ.	*Dyſtrus.*	*Kal. Maii.*
ΞΑΝΘΗΚΟϹ.	*Xanthecus.*	*Kal. Iun.*

ΑΡΤЄ-

(1) Lib. XIV. (2) Diſs. I.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ.	*Artemiſius*.	*Kal. Iul.*
ΔΑΙΣΙΟΣ.	*Daeſius*.	*Kal. Aug.*
ΠΑΝΗΜΟΣ.	*Panemus*.	*Kal. Sept.*
ΛΩΟΣ.	*Lous*.	*Kal. Oct.*
ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ.	*Gorpiaeus*.	*Kal. Nov.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ.	*Hyperberetaeus*.	*Kal. Dec.*

Alexandro defuncto Ptolomaeis Aegypti, ac poſtea Seleucidis Syriae regibus paruerunt Sidonii, quo certe tempore anni formam menſeſque Macedonum amplexi ſunt, quapropter hos exhibet codex. Menſis Dius cum Ianuario Romano coniungitur, ut in Codice Saviliano in huiuſce capitis exordio animadvertimus. Quamvis Sidonii alia prorſus ratione, ac Tyrii eorum finitimi, menſes in anno diſtinxerint, tamen ab Autumno ipſi quoque extra dubium annum auſpicabantur, & fortaſſe a menſe Loo, ſeu Kal. Oct. quemadmodum alii nonnulli Syro-Graeci, de quibus ſuo loco diſſeruimus.

ΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ.	Heliopolitarum.	Initium.	
ΘΟΡΙΝ.	*Thorin*.	X.	*Kal. Ian.*
ΓΕΛΩΝΦ.	*Gelonph*.	XI.	*Kal. Febr.*
ΧΑΝΟΥ.	*Chanu*.	IX.	*Kal. Mart.*
ΣΟΒΑΘ.	*Sobath*.	IX.	*Kal. April.*
ΑΔΑΛ.	*Adal*.	IX.	*Kal. Maii*.
ΝΕΙΣΑΝ.	*Niſan*.	IX.	*Kal. Iun.*
ΙΑΡΑΡ.	*Iarar*.	VIII.	*Kal. Iul.*
ΕΞΗΡ.	*Ezer*.	IX.	*Kal. Aug.*
ΘΑΜΙΖΑ.	*Thamiza*.	X.	*Kal. Sept.*
ΑΒ.	*Ab*.	IX.	*Kal. Oct.*
ΙΛΟΥΛ.	*Ilul*.	X.	*Kal. Nov.*
ΑΓ.	*Ag*.	X.	*Kal. Dec.*

Coe-

Coeleſyriae urbs praeſtantiſſima Heliopolis, citra dubium ea eſt, quae ſuperiores menſes adhibuit, qui licet a Syrorum menſibus iam memoratis quam maxime diſtent, tamen apud eoſdem haec etiam menſium nomina, aut alia iis perquam ſimillima, olim obtinuiſſe eruuimur. In libro enim de Epochis inſignioribus Perſice ſcripto ab Vlug Beigho, quem Latio donavit Ioannes Gravius, habetur cap. 2. Syro-Graecorum, vel potius Syro-Caldaeorum, ſolares annos quibuſdam menſibus compoſitos fuiſſe, quorum nomina hoc ordine recitantur. *Teſbrin prior conſtans diebus XXXI. Teſbrin poſterior XXX. Canun prior XXXI. Canun poſterior XXXI. Shabat XXVIII. Adar XXXI. Niſan XXX. Ayiar XXXI. Haziran XXX. Tamuz XXXI. Ab XXXI. Elul. XXXI.* Albategnus [1] percelebris Aſtronomus Syrorum menſes enumerans, eadem nomina paulo aliter inflexa, fortaſſe ob variam Syriae populorum pronunciationem, profert. Horum inſuper nominum altera paulo diſſimilis inflexio iterum apud Fabricium [2] occurrit, ubi Syro-Caldaeis huiuſmodi menſium nomina tribuit. Patet ergo apud Syros olim haec menſium nomina & uſurpari, & varie inflecti conſueviſſe. Quare cum nonnulla Heliopolitarum menſium nomina in Laurentiano Codice expreſſa, eadem ferme ſint, ac illa menſium Syrorum, alia vero exiguo litterarum diſcrimine ab illis diſſentiant, certiſſimum eſſe dixerim Heliopolitas haec vetuſta menſium nomina a Syro-Caldaeis uſitata, prae ceteris Syriae gentibus diu retinuiſſe, ut proinde menſes ipſi Heliopolitis praeſertim tribuantur a Codice. Verum quid haec diutius proſequor, quae eximio Golii teſtimonio extra dubii locum omnino conſtituuntur [3]? Is enim menſem Haziran Syro-Caldaeorum memorans, ait: *pro Haziran Heliopolitanos dixiſſe οζιρ* (qui fortaſſe in Codice noſtro eſt ΞΗΡ) *teſtis eſt Theo Alexandrinus libro inedito εἰς προχείρους κανόνας, ubi demonſtrat menſes eorum pleroſque omnes nomine & ordine cum Syriacis concordaſſe.*

ΑΓ-

(1) Cap. 32. (2) Menolo. pag. 20. (3) Ad Alfraganum pag. 17.

ΛΥΧΙΑC.	Lyciorum.	Initium.
ΔΙΟC.	*Dius.*	*Kal. Ian.*
ΑΠΠΕΛΛΕΟC.	*Apelleus.*	*Kal. Febr.*
ΑΥΔΝΑΙΟC.	*Audnaeus.*	*Kal. Mart.*
ΠΕΡΙΤΙΟC.	*Peritius.*	*Kal. April.*
ΔΥCΤΡΟC.	*Dyſtrus.*	*Kal. Maii.*
ΞΑΝΘΗΚΟC.	*Xanthecus.*	*Kal. Iun.*
ΑΡΤΕΜΙCΙΟC.	*Artemiſius.*	*Kal. Iul.*
ΔΑΙCΙΟC.	*Daeſius.*	*Kal. Aug.*
ΠΑΝΗΜΟC.	*Panemus.*	*Kal. Sept.*
ΛΩΟC.	*Lous.*	*Kal. Oct.*
ΓΟΡΠΙΑΙΟC.	*Gorpiaeus.*	*Kal. Nov.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟC.	*Hyperberetaeus.*	*Kal. Dec.*

Eadem Menſium ſeries, ordo, eorumque cum Romanis comparatio, ac ſingulorum initium, quod ſuperius apud Sidonios vidimus, hic obſervatur apud Lycios; quare nihil hoc loco ulterius dicendum occurrit. Verum hic moneam, quod ſupra & inferius monendum venerit, nempe Macedonum menſium nomina, quae prae ceteris in hoc Codice habentur, aliquantulum a vera illorum pronunciatione eſſe deflexa, ac depravata, ut quiſque per ſe animadvertet, ut proinde concludi debeat vera Macedonicorum menſium nomina, eorumque inflexionem repetendam eſſe ab ea menſium ſerie, quam Macedonibus ſuo loco adiudicavimus. Tamen non deſunt etiam monumenta, quae vitiata Macedonum menſium nomina, ut Codex habet, aliquando praeſeferant; ſic ut cetera omittam, Sponius (1) recitat inſcriptionem ſepulcralem, quae dicitur poſita: ΜΗΝΟΣ ΑΥΔΝΑΙΟΥ. *Menſe Audnaei;* ubi perſpicue reſcribi debet ΑΥΔΙΝΑΙΟΥ *Audinaei*.

ACIAC

(1) Itiner. Par. I. pag. 298.

ΑCΙΑC.	Aſiae.	Initium.
ΠΟCΙΔΑΩΝ.	*Poſidaon.*	IX. *Kal. Ian.*
ΛΗΝΑΙΟC.	*Lenaeus.*	IX. *Kal. Febr.*
ΙЄΡΟCЄΒΑC.	*Hieroſebas.*	VIII. *Kal. Mart.*
ΑΡΤЄΜΙCΙΟC.	*Artemiſius.*	IX. *Kal. April.*
CΤΑΓΓЄΛΙΟC.	*Syangelius.*	IX. *Kal. Maii.*
CΤΡΑΤΟΝΙΧΟC.	*Stratonicus.*	IX. *Kal. Iun.*
ЄΧΑΤΟΜΒΑΙΟC.	*Hecatombaeus.*	IX. *Kal. Iul.*
ΑΝΤЄΟC.	*Anteus.*	IX. *Kal. Aug.*
ΛΑΟΔΙΧΟ˘.	*Laodicus.*	IX. *Kal. Sept.*
ΚΑΙCΑΡΙΟC.	*Caeſarius.*	VIII. *Kal. Oct.*
ΤΙΒЄΡΙΟC.	*Tiberius.*	IX. *Kal. Nov.*
ΑΠΑΤΟΤΡΙΟC.	*Apaturius.*	VIII. *Kal. Dec.*

Mirabitur fortaſſe nonnemo Aſianorum menſium ſeriem a Codice exhibitam, longe alios quam Macedonum menſes praeſeferre, quos totius Aſiae populis prae ceteris menſibus uſurpatos fuiſſe toties monuimus. Verum non Aſiae univerſae, ſed aliquarum urbium aut regionum illius, huiuſmodi menſes proprios fuiſſe certo adfirmaverim. Fuerunt enim quamplurimae urbes, quae Macedonum menſes late per Aſiam dominantes minime cooptarunt, ſed perantiqua eorum menſium nomina conſervarunt, aut alios praeter Macedonios menſes uſurpare maluerunt, ut in Bithynia, & in Cappadocia contigiſſe mox intuebimur. Profecto his Aſiae regionibus & Magneſia, & Ionia accenſeri debent, in quibus, niſi haec omnia menſium nomina, duo ſaltem & prima quidem, uſurpata fuiſſe luculenter ſane demonſtro. Ariſtides [1] qui M. Aurelio & Commodo Imperatoribus in Ionia floruit, & Smyrnae plerumque degit, menſes Poſideonem, & Lenaeonem (ita enim in Codice reſcribi debet) apud Iones laudat. Nam memorato Sermone prolixius recitans ſuperſtitioſa ſomnia, quae

(1) Ser. I. Sac.

uno & altero menſe ſibi contigerant, ait: *Menſis erat Poſideon, hieme qualem noſtis*; variis deinde eiuſdem Poſideonis diebus enumeratis, ait: *Lenaeonis die prima*. Hic non appellat menſes Atticos, licet Poſideonem nominet; qui ſextus erat menſis in anno Athenienſium, apud quos Poſideoni ſuccedebat Gamelion, non autem Lenaeon. Quid vero quod hoc menſis nomen iterum occurrit in Arundelliano Marmore, in quo dicitur foedus pro Antiochi Callinici Syriae ac Aſiae regis maieſtate tuenda, Smyrnaeos inter ac Magneſios initum ΜΗΝΟΣ ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ, *menſe Lenaeone*, quem menſem Poſideoni proximum ſucceſſiſſe ex laudato Ariſtide praenotavi? Neque praetereundus Proclus, qui in illa verba Heſiodi V. 499. *Μῆνα Ληναιῶνα menſem Lenaeonem*, ait: *Iones autem hunc non aliter quam Lenaeonem vocant*. Liquet ergo haec duo ſaltem menſium nomina apud Magneſios, Iones, alioſque etiam populos Aſiae proconſularis adhibita fuiſſe: At non ne etiam ex laudato Ariſtidis teſtimonio: *Menſis erat Poſideon, hieme qualem noſtis*, inferri poteſt Poſideonem menſem, ut in Codice habetur, cum Ianuario Romano concurrere? Quid enim ea dicendi formula *hieme qualem noſtis*, niſi aſperiorem ſaevientis hiemis menſem nempe Ianuarium deſignat? Certe Saldenus aliique, qui memoratam Marmoris Arundelliani inſcriptionem illuſtrarunt, Lenaeonem menſem cum Februario componunt. Quae quidem obſervatio, quemadmodum a Codice noſtro, qui eumdem menſem cum Februario confert, corroboratur, ita viciſſim Codicem ipſum confirmat & illuſtrat, quod Poſideon cum Ianuario ſit committendus. Reliqua vero menſium nomina, ſi Hecatombaeum Laconicum, & Artemiſium Macedonium excipias, multo recentiora eſſe crediderim. De menſe *Tiberio*, & quod revera ab illius nominis Imperatore inditum fuerit, & Romano Novembri reſponderit, illuſtris ſane teſtis Xiphilinus eſſe poteſt, qui in *Tiberio pag.* 105. haec habet. *Quum autem Tiberio inſtaret Senatus, & menſem Novembrem, cuius ſextadecima die natus ille fuerat, Tiberium vocandum eſſe cenſeret; ecquid ait facietis, ubi tredecim Caeſares fuerint* (1)? Ceterum huiuſmodi populi, qui

(1) Dio Lib. XVII.

qui hiſce menſibus utebantur, Aſianorum more, ut patet ex ipſo Codice, annum inchoabant, nempe 24. Septembris die, ſive VIII. Kal. Oct. quae dies ex Caeſaris decreto Autumno initium dabat, quod in ipſa aequinoctium conſtitutum eſſet.

ΚΡΗΤΗϹ.	Cretae.	Initium.
ΜΕΤΑΡΧΙΟϹ.	*Metarchius.*	IX. *Kal. Ian.*
ΑΓΥΙΟϹ.	*Agyius.*	IX. *Kal. Febr.*
ΔΙΟϹΚΟΥΡΟϹ.	*Dioſcurus.*	IX. *Kal. Mart.*
ΘΕΟΔΟϹΙ.	*Theodoſi.*	IX. *Kal. April.*
ΠΟΝΤΟϹ.	*Pontus.*	IX. *Kal. Maii.*
ΡΑΒΙΝΘΙΟϹ.	*Rhabinthius.*	IX. *Kal. Iun.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟϹ.	*Hyperberetaeus.*	IX. *Kal. Iul.*
ΝΕΚΥϹΙΟϹ.	*Necyſius.*	IX. *Kal. Aug.*
ΒΑϹΙΛΙΟϹ.	*Baſilius.*	X. *Kal. Sept.*
ΘΕϹΜΟΦΟΡΙΩΝ.	*Theſmophorion.*	IX. *Kal. Oct.*
ΕΡΜΑΙΟϹ.	*Hermaeus.*	IX. *Kal. Nov.*
ΕΙΜΑΝ.	*Eiman.*	IX. *Kal. Dec.*

Si Metarchium menſem unum excipias, quem etiam Savilianus codex ut vidimus profert, & cum Ianuario Romano comparat, prout in Manuſcripto noſtro habetur, ceteri Cretenſium menſes huiuſce Codicis, immane diſcrepant ab iis, quos cum de Cretenſibus ageretur, in praecedenti capite ſubiecimus. Neque tamen id mirandum duco, ſi animadvertamus quod novem illi Cretenſium menſes ſuperius relati, non univerſis Cretenſis Inſulae populis communes fuerunt, ſed urbium potius, aut populorum quilibet variis menſium nominibus utebatur, ut facile ex marmoribus ipſis infertur. Marmora enim illa ex quibus ſuperiores menſes expiſcatus fuerat Chishullus ad varias Cretae gentes referri debent, proindeque menſes in illis inſculpti variis etiam eiusdem Inſulae populis ſunt adſcribendi. Sic, ut obiter rem attingam, *Imalius* et

.... *ducius* menſes ſunt Hierapytniorum, *Dioſallaſius* & *Eteotbermulaeus* Latiorum, *Eleuſinius* atque *Heracus* Olontiorum, *Artamitius* denique Atoadum Cretae populorum. Vlterius ex hiſce laudatis lapidibus palam fieri animadverto cum Chishullo [1] multiplicem Creticae linguae fuiſſe varietatem, ut merito cecinerit Homerus Odiſs. τ. 175. Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη, *Alia autem aliorum lingua mixta*; idque ob permixtos veris antiquis Cretenſibus Achivos, Dorienſes, & Pelaſgos advenas, ſive, ut inquit Scylax, Lacedaemonios, Argivos, Athenienſes, alioſque ex aliis Graeciae partibus colonos. Itaque ſi quiſque fere Cretae populus ſuos peculiares menſes adhibuit, ſi ingens linguarum varietas ea in Inſula ob receptos et civitate donatos advenas invecta fuit, nihil veriſimilius quam quod menſes illi in Laurentiano Codice inſcripti, alicuius populi fuerint, et fortaſſe Gortyniorum, cuius quidem populi nulla adhuc ad nos monimenta pervenerint, nil malimus dicere nova illa menſium nomina ſequioribus temporibus a Cretenſibus uſurpata fuiſſe.

ΚΥΠΡΙΩΝ.	Cypriorum.	Initium.
ΙΟΥΛΙΟϹ.	*Iulius.*	*IX. Kal. Ian.*
ΚΑΙϹΑΡΙΟϹ.	*Caeſarius.*	*IX. Kal. Febr.*
ϹΕΒΑϹΤΟϹ.	*Sebaſtus.*	*IX. Kal. Mart.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ.	*Autocrator.*	*X. Kal. April.*
ΔΗΜΑΡΧΟϹ.	*Demarchus.*	*IX. Kal. Maii.*
ΠΛΝϹΘΥΚΡΑΤΟϹ.	*Panſthycatus.*	*IX. Kal. Iun.*
ΑΡΧΙΕΡΙΟϹ.	*Archierius.*	*IX. Kal. Iul.*
ΕϹΤΙΕΟϹ.	*Heſtieus.*	*X. Kal. Aug.*
ΛΩΟϹ.	*Lous.*	*IX. Kal. Sept.*
ΑΦΡΟΔΙϹΙΟϹ.	*Aphrodiſius.*	*IX. Kal. Oct.*
ΑΠΟΛΛΩ.	*Apollo.*	*IX. Kal. Nov.*
ΑΝΝΙΟϹ.	*Annius.*	*IX. Kal. Dec.*

Quae

(1) Antiq. Aſiat. Pag. 124.

Quatuor ex hiſce menſium nominibus nonnihil vitiata in Codice noſtro conſpicio, quae proinde corrigenda ſunt, uti in ſuperiori Cypriorum menſium ſerie, illa a nobis prolata fuere. Neque enim apud Giraldum, Stephanum, Meurſium, Harduinum, adeo depravata haec quatuor menſium nomina inveniuntur, licet diſcrimen aliquod, exiguum ſane, apud Scriptores illos in huiuſmodi menſium nominibus edendis obſervetur. Itaque reſcribi debet *Apogonicus* pro *Apollo*, *Aenecus* pro *Annius*, *Demarchexuſius* pro *Demarchus*, *Plethypuſius* pro *Panſthycatus*. Pro *Eſthio Lous* Macedonum menſis occurrit, quo ſententia Corſini uberius confirmatur, qui ſuſpicatus eſt in nonnullis Cypri urbibus Macedonicos menſes adhibitos fuiſſe (1), propterea quod Paeon quidam Amathuſius ſcriptor a Plutarcho laudatus (2), aſſerat ab Amathuſiis ſacra Ariadnae peragi *ſecunda Gorpiaei menſis die*. Qua de re *Loum* hunc ſuperſtitem adhuc apud nonnullos Cypri populos, ſequioribus etiam temporibus & in altera menſium ſerie, permanſiſſe crediderim. Ceterum Codicis noſtri menſes ita & illorum ſerie atque initio cum Romanis recte congruunt, ut apud Paphios obtinuiſſe tradiderunt Scriptores. Alexander Monachus in Encomio S. Barnabae (3) ait; *diem vero feſtum, quo beati martyris Barnabae memoria celebraretur, Patres agi per ſingulos annos conſtituerunt tertio Idus Iunii, ut Romani loquuntur, ut autem Cyprii Conſtantienſes die XI. eius menſis, qui ab illis dicitur Meſores, & numeratur decimus; ut autem Paphii numerant, decimo nono menſis, qui Phithypatus*, in Codice habetur Panſthycatus, *dicitur, & nonus numeratur*. S. Epiphanius (4) diem VI. Idus Novembris vocat *iuxta Paphios Apogonici XVI*. in utroque teſtimonio Cyprii menſes, eorumque dies, ita Romanis menſibus atque diebus reſpondent, ut in Codice expreſſi videntur; ut conſequens proinde eſſe debeat, horum menſium ſeriem Paphiis omnino eſſe adſcribendam; cum praeſertim ex memorato Alexandri teſtimonio, pateat ulterius Conſtantienſes alioſque Cypri populos, alia prorſus & men-

(1) Diſſert. XIV. n. 15. (2) In Theſeo. (3) Apud Surium ad diem XI. Iunii. (4) Ad Haer. LI.

menſium nomina & anni formam adamaſſe. Aphrodiſius primus anni menſis apud Paphios extitit, cuius initium iuxta Codicem in 23. Septembris diem incidebat, quod tamen, ut Vſſerius animadvertit & egregie demonſtrat, in (1) die 24. eiuſdem menſis conſtituendum videtur.

ΕΦΕϹΟΥ.	Epheſi.	Initium.
ΠΕΡΙΤΙΟϹ.	*Peritius.*	*IX. Kal. Ian.*
ΔΙϹΤΡΟϹ.	*Dyſtrus.*	*IX. Kal. Febr.*
ΞΑΝΘΙΚΟϹ.	*Xanthicus.*	*IX. Kal. Mart.*
ΑΡΤΕΜΙϹΙΟϹ.	*Artemiſius.*	*IX. Kal. April.*
ΔΕϹΙΟϹ.	*Deſius.*	*IX. Kal. Maii.*
ΠΑΝΗΜΟϹ.	*Panemus.*	*IX. Kal. Iun.*
ΛΩΟϹ.	*Lous.*	*IX. Kal. Iul.*
ΓΟΡΠΙΑΙΟϹ.	*Gorpidius.*	*IX. Kal. Aug.*
ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟϹ.	*Hyperberetaeus.*	*IX. Kal. Sept.*
ΔΙΟϹ.	*Dius.*	*IX. Kal. Oct.*
ΑΠΕΛΛΑΙΟϹ.	*Apelleus.*	*IX. Kal. Nov.*
ΑΙΔΥΝΑΙΟϹ.	*Aedynaeus.*	*IX. Kal. Dec.*

Epheſios Macedonum menſibus uſos fuiſſe ſuo loco obiter innuimus, eo quod nonnulla Epheſiorum monumenta apud Ioſephum, & Muratorium memorantur, in quibus duo Macedonum menſes recenſentur. Facile enim fieri potuiſſe diximus, ut Epheſii a Macedonibus ſubacti eorum menſes annique formam receperint. Nunc vero dubitare minime licet, cum id clarius affulgeat ex Codice noſtro, in quo non duo, ſed omnes Macedonum menſes Epheſiis tribuuntur. A menſe Dio annum Epheſii inchoabant, cuius initium, ſi Codici fides eſt habenda, in 23. Septembris die ſtatui debet, cum tamen in ſequenti die malint Eruditi. Aegre etiam defendi poteſt, quo nam pacto quilibet Epheſiorum menſis conſtanter a IX. Kal. ſingulorum Romanorum menſium ſemper procedere de-

(1) De Anno Maced. Cap. IV.

debuerit. Macedonum enim menſes tunc temporis ſolares erant, nonnullique illorum, Iulianorum more, 30. alii 31. dies complectebantur. Mendum ergo ſubeſſe in huiuſmodi menſium initio definiendo crediderim, quod monitum etiam velim, quoties menſium initia pari ratione compoſita alibi in hoc Codice reperiantur.

ΒΙΘΥΝΩΝ.	Bithynorum.	Initium.
ΔΙΟΝΥCΙΟC.	*Dionyſius.*	*IX. Kal. Ian.*
ΗΡΑΚΛΗC.	*Heracles.*	*IX. Kal. Febr.*
ΔΙΟC.	*Dius.*	*IX. Kal. Mart.*
ΒΕΝΔΙΔΟC.	*Bendidus.*	*IX. Kal. April.*
CΤΡΑ.	*Stra.*	*IX. Kal. Maii.*
ΠΡΗCΤΙΟC.	*Preſtius.*	*IX. Kal. Iun.*
ΑΡΡΑΡΙΟC.	*Arrharius.*	*IX. Kal. Iul.*
ΑΦΡΟΔΙCΙΟC.	*Aphrodiſius.*	*IX. Kal. Aug.*
ΔΗΜΕΤΡΟC.	*Demetrus.*	*X. Kal. Sept.*
ΠΡΑΙCΗC.	*Praeſes.*	*IX. Kal. Oct.*
ΕΡΜΑΙΟC.	*Hermaeus.*	*IX. Kal. Nov.*
ΜΗΤΡΩΟC.	*Metrous.*	*IX. Kal. Dec.*

Tria tantum menſium nomina, quae a Codice noſtro Bithynis tribuuntur, diſtant ab iis quae ſuperius ex Gyraldo, Henrico Stephano, & Vſſerio Bithynorum menſibus adſignavimus. Et licet varietas aliqua in quibusdam menſium nominibus apud Scriptores illos etiam occurrat, nunquam tamen in hac varietate illorum trium menſium nomina memorantur. Itaque Codex noſter habet *Preſtius* pro *Arius* *Arrarius* pro *Periepius*, *Praeſes* pro *Heraeus*. Reliqua vero Bithynorum menſium nomina in hoc Codice comprehenſa, partim nullo, partim exiguo litterarum diſcrimine ab iis, quae ſuperius attulimus, differre quiſque per ſe norit. Eximio Agrippae Bithyni Aſtronomi teſtimonio confirmatur Metroum menſem ea Novembris Iuliani die incepiſſe, quam Codex enunciat. Etenim cum dies *Metroi*,

quae

quae *ſeptima* ab Agrippa dicitur [1], a Ptolemaeo componatur cum ſecunda *Tybi*, ideſt 29. Novembris, uti Scaliger recte praenotavit, Metrous inire debuit die 23. Novembris ſeu IX. Kal. Decembris, ut in Codice indicatur. Huiuſmodi teſtimonio fretus Scaliger inito calculo *Heraeum* menſem, qui *Praeſes* in Codice noſtro inſcribitur, 24. Septembris die proceſſiſſe credidit, cum tamen iuxta Manuſcripti noſtri ſupputationem 23. eiuſdem menſis die contingere debuit. At longe ulterius progreſſus Pontadera in Epiſtolis Graecarum Latinarumque Antiquitatum enarrationes & emendationes comprehendentibus, Epiſtola 28. Singulos Bithynos menſes cum ſingulis Romanorum compoſuit, oſtenditque qua Romanorum menſium die quiſque Bithynus exordiretur. Profecto in menſium ordine eorumque cum Romanis comparatione, plorſus cum Codice noſtro cohaeret, at vero in illis Romanorum menſium diebus conſtituendis, ex quibus Bithyni menſes proficiſcuntur, tantummodo congruit in horum menſium initio definiendo, nempe *Dionyſii Bendidi, Hermaei, Metroi*, in ceteris vero menſibus una citius die, quam Codex noſter, ſtatuit illorum initium.

ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ.	Cappadocum.	Initium.
ΛΥΤΑΝΟϹ.	*Lytanus*.	*VII. Eid. Dec.*
ΑΡΤΗΤϹ.	*Arteys*.	*III. Eid. Ian.*
ΑΔΡΑΟϹΤΑΤΑ.	*Adraoſtata*.	*IV. Eid. Febr.*
ΤΕΙΡΕΙ.	*Tiri*.	*IV. Eid. Mart.*
ΑΜΑΡΠΑΤΑ.	*Amarpata*.	*III. Eid. April.*
ΞΑΝΘΙΚΟϹ.	*Xanthicus*.	*V. Eid. Maii.*
ΜΤΑΡ.	*Myar*.	*IV. Eid. Iun.*
ΑΠΟΜΤΛΗ.	*Apomyle*.	*VI. Eid. Iul.*
ΑΘΡΑ.	*Athra*.	*V. Eid. Aug.*

ΑΑ-

(1) Apud Ptolem. Lib. VII. Cap. 3.

ΔΑΘΟΥ.	*Dathu.*	*VI. Eid. Sept.*
ΟΣΜΑΝ.	*Oſman.*	*VIII. Eid. Oct.*
ΣΟΝΔΑ.	*Sonda.*	*VII. Eid. Nov.*

Licet non exiguum ſane diſcrimen inter ea Cappadocum menſium nomina a nobis ſuperius relata, & ea, quae Codex noſter Cappadocum menſibus tribuit, intercedat, nonnulla tamen Codicis nomina facile conciliari poſſunt cum iis Cappadocum menſium nominibus, quae Gyraldus & Stephanus ex aliis codicibus eruit, addendo nempe, vel adimendo litteram aliquam, quae multis de cauſſis in codices praeſertim irrepere ſolet. Sic *Tiri* a *Tirix*, *Athra* ab *Arthra* unius tantum diſcrimine litterae diſtat. *Sonda* per contractionem eſt idem ac *Sondara*, & fortaſſe *Oſman* eſt *Oſmonia*, quod etiam de nonnullis aliis menſium nominibus inferri poſſet. Haec autem varietas eo minus movere nos debet, quod ut ſuperius innuimus, Cappadocum menſium nomina a Stephano, aliiſque ex vetuſtis Membranis exſcripta, barbara & plurimum vitiata cenſentur; quod tamen non ideo dictum velim, perinde quaſi ea Cappadocum menſium nomina, quae Codex noſter profert omnibus prorſus vitiis careant, quin imo haec etiam vitiis late reſperſa, crediderim. Ceterum an Codex noſter illis praeferri debeat, ex quibus laudati Chronolpgi Cappadocum menſium nomina tranſcripſerunt, ſapientiores viderint. Non deſunt tamen monumenta, ex quibus unus ex his menſium nominibus comprobetur. Praeter enim Savilianum codicem, qui *Lytanum* memorat, eumque, prout noſter Codex, cum Ianuario committit, in Synodo V. Collec. 5. menſis *apud Cappadoces provinciali vocabulo Dathuſa* nominatur, & in Epiſtola 90. S. Gregorii Nazianzeni ad Theodorum, Δαθοῦσα *Dathuſa* idem menſis appellatur. Hic autem menſis *Dathuſa* idem eſt per contractionem ac *Dathu*, qui in Codice habetur.

Haec itaque, quae accuratiori qua poteram, clarioriquе methodo expoſui, ea ſunt quae ad Hemerologium hoc illuſtrandum magis opportuna & accomodata exiſtimavi. Cum vero & in ſuperiori & in praeſenti capite gentium illarum menſes una complecti atque illuſtrare mihi mens fuerit, qui in ſcriptoribus, aut vetuſtis monimentis recenſentur, nollem videri me hic nonnulla menſium nomina praeterire, quae, licet raro, tamen haec etiam in Graecis ſcriptoribus & marmoribus aliquando

occurrunt. Quare hic illa ſubiiciam quod & pauca ſint, & cum ſuperioribus gentium menſibus confundi minime poterant. Itaque Aeginetis *Delphinius* menſis ab Apolline Delphinio dictus tribuitur, qui ab utroque Pindari (1) Scholiaſte memoratur, & cum Hecatombaeone, ſeu Gamelione Attico componi debet. Aeginetis fortaſſe etiam adſcribendi videntur menſes *Dioſthius*, & *Eleuſinus*. *Agrianus* Coorum menſis fuit, cuius die XXVI. natus fuit Hippocrates, & mentio in eius vita a Sorano conſcripta invenitur. *Cronius* a Plutarcho (2) memoratus, perantiquus Atticorum menſis cenſetur, qui poſtea Hecatombaeus dictus fuit. *Hieromnemon* & *Callimaion* menſium nomina ſunt e marmoribus eruta, ſed quorum patria adhuc ignoratur. Doctiſſimus Gyraldus tria menſium nomina, nempe *Pharnacis*, *Aſcaei*, & *Cari* e Strabone (3) elicuiſſe credidit, quorum primum Dioſpolitanorum, reliqua menſium nomina Phrygum fuiſſe contendit. Verum pace tanti viri rectius alii Eruditi, menſes hoſce e menſium ſerie omnino expungendos eſſe arbitrantur, propterea quod *Pharnacis*, *Aſcaei*, & *Cari* nomine non civiles aliquot anni menſes, ſed varia ſolum *Luni*, vel *Lunae* nomina deſignantur. Ita ex Spartiano (4) obſervat Salmaſius, atque ita ex Palmyrenorum Tabula apud Sponium (5), & clarius adhuc ex veteri Antiochenorum nummo apud Patinum (6) demonſtrari poſſet, in quo perſpicue *Luni* facies expreſſa conſpicitur.

CAPVT VI.

De Regionum, & Vrbium Epochis in Graecis nummis uſitatius expreſſis.

Merito ſane antiquitatis Scriptores maximi ſemper fecerunt nummos in Aſiae urbibus atque regionibus cuſos, quod praeter cetera ornamenta, quibus commendari ſolent, illud etiam peculiare atque ſolemne habent, ut regionum & urbium in quibus percuſſi fuere, Epochas plerumque exhibeant, quo certe praeſidio nihil tutius, atque opportunius ad

(1) Nem. V. ver. 81. (2) In Theſeo. (3) Lib. XII. e XIII. (4) In Carac. (5) Miſcell. Erud. Antiq. Sect. 1. (6) In Antonino pag. 210.

ad Principum, & illarum urbium annos feliciter aſſequendos. Tali enim ope Vaillantius Syriae regum ſeriem, ob ſimilia Principum nomina maxime implicatam, egregie enodavit, atque digeſſit, & Noriſius ſacram profanamque Chronologiam illuſtravit, Scriptorum loca emendavit in aureo libro *de Anno, & Epochis Syro Macedonum*, cuius lectio nunquam ſatis pro merito commendari poteſt. Itaque harum Epocharum initia perfecte callere quis debet, ut verum tempus, quo nummi illi cuſi fuere, facili negotio inveniatur. Variis profecto de cauſſis, variiſque ſubinde temporibus Epochae illae originem ſuam ſortitae ſunt. Aliae enim initium repetunt, cum urbes aliquae conditae, aut inſtauratae fuerunt; nonnullae quando Coloniae ius adeptae, aut ſocietatem, atque amicitiam cum Romanis inierunt, aliae denique cum ſingulari aliquo beneficio ab Imperatoribus fuerunt affectae. Nonnumquam vero eadem urbs varias progreſſu temporis Epochas adoptavit, ut modo prae oculis obverſabitur, cum illarum ſeriem oſtendemus. Verum nonnullas aeras, licet infrequentes in Graecis nummis, ſi cum aliis comparentur, praeſtabit primum attingere. Antiquior itemque certior Epocha quam nummi praeſeferunt, eſt Seleucidarum, quae anno V. C. 442. ante Aeram Chriſtianam 312. incipit, quo Seleucus I. Syriae Rex Media potitus eſt. Huiuſmodi Aera occurrit in nummis regum Syriae in quibus a Seleuco I. numeri perpetuo in ſucceſſoribus creſcentes adnotantur. Eadem in nummis Regum Arabiae, & Parthiae Adiabenicae, ut Aretae, ac Vologeſi, & Pharnacis adhibetur. Quamplurimae etiam urbes hiſce regibus fere tum ſubditae hac aera uſae ſunt, nimirum Apamea, Damaſcus, Emeſa, Tripolis, Tyrus, Orthoſia Phoenicum, Edeſſa, Palmyra. Eſt etiam quaedam Parthica aera a primis uſque temporibus invecta, quae in Arſacidarum ſeu Parthiae, deinde Armeniae regum nummis inſcribi conſuevit. Froelichius (1) duo & viginti de his nummis exhibet, unum vero nondum editum Corſinus (2). Porro cum ſinguli Parthorum reges uno eodemque Arſacis nomine vocarentur, hinc cardo Arſacidarum aerae a Vaillantio, Vſſerio, Petavio, Noriſio, Spanhemio, Froelichio anno V. C. 498. vel 504. dubitanter olim alligatus fuerat, at nuper Corſinus (3) ab anno circiter V. C. 525. eumdem eſſe deſumendum cenſuit. Regum vero

(1) Reg. Numiſm. pag. 74. (2) Diſſert. de Minniſari, aliorumque Armen. Reg. num. & Arſacid. Epocha. (3) Loc. cit.

nummi in Oriente percuſſi, frequentius eorum regni annos exhibent. Sic Ptolemaei, Aegypti reges, annos adepti imperii ſuis in nummis conſignarunt. Subacta vero a Romanis Aegypto, Auguſtorum numiſmata in eadem ſignata, annos imperii plerumque praeſeferunt, quod & aliae quaedam urbes in Aſia praeſtiterunt. Nonnullae, & imperii, & aerae ſuae annos in nummis inſcripſerunt, quo loco hoc diſcrimen in annis deſignandis obſervari debet; quod cum Auguſtorum anni in imperio indicantur, id per compendium, ſeu initiales litteras E. vel ET. aut L. fieri ſolet (1). Epocharum vero anni per litteras numerales ſine E aut L exprimuntur. At Graeciae urbes Romano imperio tum ſubditae peculiari quadam Epocha maxime gloriabantur, qua *Neocorae* (2) dicebantur, quod nempe templa obtinuerant, vel Deorum alicui, vel Auguſto dicata, in quibus a totius Provinciae conventu & vota concipiebantur, & ſacra fiebant. Ac tanti decus illud faciebant, ut ſi saepius ipſum impetraſſent, id honoris cauſſa, nummis committebant, vel numerabilibus notis, vel hiſce vocibus ΔΙC. TRIC. TETRAKIC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *bis, ter, quater Neocororum*. Sic in nummo Caracallae legitur: ΕΠΙ. ΑΝ. ΡΟΥϤΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Annio Rufo Archonte primo iterum Sardianorum Ter Neocororum* (3). Altera etiam Epocha, quae *Pontificatus* aera dicebatur ſolemnis & peculiaris apud Graecos fuit, & quemadmodum alii perpetui Sacerdotes erant, & dicebantur Ἀρχιερεῖς διὰ βίου, alii vero annui, ita ii, qui ſaepius ea dignitate cohoneſtabantur, quot vicibus eam eſſent aſſecuti, nummis diligentiſſime mandabant (1). Eadem certe ratio-

(1) E nempe ΕΤΟΥ. L. Λυκάβαντος. Vtraque vox *Annum* ſignificat, ſed poſtrema poetica eſt, & in vernacula Graecorum lingua inſolens, cumque in Aegyptiis nummis frequentius inveniatur, non immerito magis in Aegypto, quam in Graecia uſurpata cenſetur. (2) Νεωκόρος latine *Aedituum* ſonat ab Attica voce ναὸς, *templum*, & κορέω, *mundo*, *curo*. Eximiam de Neocoris diſſertationem Vaillantius conſcripſit, quae habetur in Commentariis Regiae Academiae Inſcriptionum &c. Tom. 4. pag. 198. Edit. Amſtel. (3) Ita haec nummi inſcriptio legi ac verti debet, minime vero ut in nonnullis libris aliquantulum vitiata circumfertur, in quibus etiam nota compendiaria ΑΡΧ. perperam redditur Ἀρχιερεὺς. Vide Vaill. Num. Graec. pag. 110. Ceterum etiam in lapidibus haec *Neocori* dignitas occurrit, Smyrnaeis conceſſa primum poſt Tiberii aetatem, tum ab Hadriano, tertio a Caracalla. Vide Corſ. Faſt. Att. Tom. 2. pag. 470. & apud Murat. Theſ. Inſcrip. pag. 343. & Spon. Itin. pag. 130.

ſione Archontum nomina Graecis nummis conſignata haberi debent pro Epochis; ſed rem hanc fuſe, ubi de ratione annorum ſupputandorum per Archontum nomina ſermo erit, proſequemur. Singularis tamen prae ceteris ea Epocha eſt, qua tantummodo Veſpaſiani, Titi, Domitiani, & Nervae, & Traiani Decii (2) Graeci nummi exornantur, quaeve ab *anno novo ſacro dicitur*. In Titi numiſmate apud Occonem (3) legitur: Αυτ. Τίτυ Καίσαρος Ουεσπασίανυ Σεβ. ἔτυς Νέυ ἱερυ ια. ideſt, *Imperatoris Titi Caeſaris Veſpaſiani Auguſti anno novo ſacro* XI. Epocham hanc primus expiſcare tentavit Erizzus (4), eamque ab Hieroſolymitani templi inſtauratione deductam credidit, cum tamen Hieroſolymis templum regnante Herode Aſcalonita, antequam ſcilicet Veſpaſianus in lucem prodiret, ſuſcitatum fuerit, haec opinio reiicitur. Hinc aliam huius Epochae cauſſam aſſignavit Seguinus (5), eamque repetit a Capitolio ſive Iovis Capitolini templo a Veſpaſiano reſtaurato, & inſcriptionem nummi a ſe prolati, ſic explicat: ἔτυς νέυ ἱερυ *anno novi templi octavo*. At Henricus Valeſius aliter ea verba vertenda eſſe contendit, nempe *anno novo ſacro octavo*, ſcilicet imperii Veſpaſiani, cuius anni in imperio, *ſacri* vocati, quod rem Romanam inſtauraſſet, atque erexiſſet. Noriſius (6), Harduinus (7), Froelichius (8), aliique ad annos imperii hoſce *novos*, & *ſacros* annos, adiectoſque numeros referunt. Annum enim *novum* dici, novo initio a ſuſcepto imperio redeunte, egregie comprobant Hadriani, & Antonini Pii nummi, in quibus legitur: *Senatus Populuſque Romanus Annum Novum Fauſtum Felicem Optimo Principi*. Quia vero redeunte quotannis die natali imperii Principum, ad aras Deorum inter ſacrificia annus ſecundus, tertius &c. imperii fauſtus felixque ſuſceptis votis nuncupabatur, iidem anni novi etiam *ſacri* dicebantur. Quare inter ea ſolemnia vota ii nummi percuſſi fuere. Caput itaque huius Epochae ſtatuendum ſecundum annos imperii Veſpaſiani, Titi, Domitiani, & Nervae, & Traiani Decii, qui ſoli huc uſque ea num-

(1) Primi generis exempla in Lesbi inſcriptionibus, ſecundi vero in nummis habentur. (2) Hactenus nummos inſcriptos: *Anno novo ſacro* ſub Flaviis tantum Imperatoribus, & ſub Nerva, qui eoſdem proxime conſequutus eſt, ſignatos fuiſſe exiſtimarunt Eruditi. Nuper vero Froelichius Traiani Decii nummum hac aera exornatum primus protulit. Append. ad num. Vrb. Graec. loq. pag. 342. (3) Impp. Numiſ pag. 166. (4) Diſcor. ſopr. le Med pag. 212. (5) Sel. Numiſm. cap. 17. pag. 134. (6) De Epoch. Syromac. Diſſert. 3. cap 6. (7) Opp. Select. pag. 737. (8) Loc. ſup. cit.

nummos habent inſignitos. Hanc Epocham in Syria, & in Aegypto tantum adhibitam putat Pagius (1), cum nullibi *ſacri* nomen frequentius quam in nummis in Syria, & in Aegypto percuſſis uſurpatum. Poſtremo obſervandum hoc loco occurrit, quod in quibuſdam Graecis Caeſarum numiſmatibus, anni quandoque inſcribuntur, non eiuſdem Caeſaris, cuius imaginem nummi praeſeferunt, ſed ab Auguſti tum imperantis, aut etiam iam demortui inito imperio, anni illi inſcripti ſignantur. Ita in Titi nummo ETOYΣ H. *anno* 8. ad Veſpaſianum refertur. Alexandri Severi Caeſaris numiſma cum L. E. *anno* 5. Elagabali Auguſti imperii annum demonſtrat. Quemadmodum anni imperii, qui in Auguſtarum nummis obſervantur, non ipſis, ſed Auguſtis tum imperantibus tribui debent. His igitur delibatis, maiori antiquitatis cultorum commodo conſulentes, Alphabetico ordine regionum & urbium Epochas ſubiiciemus ex Vaillantio, Noriſio, Harduino, & nonnullas a Froelichio deſumptas, & inter ſe ſtudioſe collatas, quarum fere omnium initium deducitur ab autumno eius anni V. C. Varroniani, cuius numerus e regione exhibetur. Si cui vero eas ad Aeram Chriſtianam referre magis libuerit, addidimus etiam annos ante vel poſt Chriſtum natum, pro ut quaeque illarum incidit.

	V. C.		
ABΩNOTEIXITΩN. *Abonoticbitarum*. In Paphlagonia. *forte*.	803.	Poſt Ch.	50.
AΔPAMNΩN, vel AΔPANNΩN. *Adramnorum*. In Coeleſyria.	705.	Ant. Ch.	49.
AΔPIANOΠOΛEITΩN. *Hadrianopolitarum*. In Thracia.	885.	Poſt Ch.	132.
AIΓEAIΩN. *Aegeaeorum*. In Cilicia. Urbs eadem AΛEΞANΔPOTΠOΛIC. etiam & MAKPEINOTΠOΛIC appellatur.	707.	Ant. Ch.	47.
AΛEΞANΔPEΩN. KAT. IΣΣON. *Alexandrinorum ad Iſſum*. In Cilicia.	686.	Ant. Ch.	68.
AMACIAC. *Amaſiae*. In Ponto Cappadociae finitimae. Iuxta Harduinum.	746.	Ant. Ch.	8.
Iuxta Noriſium, & Vaillantium *circ.*	743.	Ant. Ch.	11.
Certe ex Froelichio non ante an.	744.	Ant. Ch.	10.
AMICOY. *Amiſi*. In Ponto.	721.	Ant. Ch.	33.

ANA-

(1) Vide Pag. Crit. Bar. ad an. 83.

	V. C.		
ANAZAPBOT. *Anazarbi*. In Cilicia.	734.	Ant. Ch.	20.
ANΘHΔΩNOΣ. *Anthedonis*. In Syria *forte*.	723.	Ant. Ch.	31.
ANTIOX. ΠP. IΠΠON. *Antiochenorum ad Hippum montem*. In Coeleſyria.	691.	Ant. Ch.	63.
ANTIOX. ΠP. CAPON. *Antiochenorum ad Sarum amnem*. In Cappadocia, vel Cilicia. Iuxta Noriſium, & Vaillantium.	734.	Ant. Ch.	20.
Iuxta Harduinum.	746.	Ant. Ch.	8.
ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛΩN. *Eius Antiochiae, quae Metropolis Coloniae*. In Syria. Vrbs illa Aeram adhibuit:			
Primo *Seleucidarum*.	442.	Ant. Ch.	312.
Secundo *Pompeianam*.	691.	Ant. Ch.	63.
Tertio *Auguſtanam*.	723.	Ant. Ch.	31.
Quarto *Caeſarianam*.	705.	Ant. Ch.	49.
AΠAMEΩN. *Apameorum*. In Coeleſyria.	442.	Ant. Ch.	312.
Hoc eſt *Seleucidarum*, ſed interdum *Auguſtana*.	723.	Ant. Ch.	31.
APAΔIΩN. *Aradiorum*. In Phoenicia.			
Iuxta Noriſium, & Vaillantium.	495.	Ant. Ch.	259.
Iuxta Harduinum.	493.	Ant. Ch.	261.
APEΘOTΣATΩN. *Arethuſanorum*. In Syria Phoenices.	685.	Ant. Ch.	69.
ſive	686.	Ant. Ch.	68.
AΣKAΛΩNITΩN. *Aſcalonitarum*. In Palaeſtina, vel Phoenicia.	650.	Ant. Ch.	104.
ATΓOTCTANΩN. *Auguſtanorum*. In Cilicia.	770.	Poſt Ch.	17.
vel	771.	Poſt Ch.	18.
BOCTPA. *Boſtra*. In Arabia Petraea.	859.	Poſt Ch.	106.
BOTPYHNΩN. *Botryenorum*. In Phoenicia.	705.	Ant. Ch.	49.
BTBΛIΩN. *Bybliorum*. In Phoenicia.	734.	Ant. Ch.	20.
ΓABAΛEΩN. *Gabalenſium*. In Syria.	707.	Ant. Ch.	47.
Iuxta Harduinum.	708.	Ant. Ch.	46.
ΓABHNΩN. *Gabenorum*. Ituraeae, vel Trachonitidis.	693.	Ant. Ch.	61.
vel	694.	Ant. Ch.	60.

ΓA-

	V. C.		
ΓΑΔΑΡΕΩΝ. *Gadarenſium Pompeitarum.* In Syria.	690.	Ant. Ch.	64.
vel	691.	Ant. Ch.	63.
ΓΑΖΑ. *Gaza.* In Syria Palaeſtinae.	693.	Ant. Ch.	61.
Iuxta Harduinum.	691	Ant. Ch.	63.
ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. *Damaſcenorum.* In Decapoli Syriae.	442.	Ant. Ch.	312.
ΔΙΟΣΠΟΛΙΣ. *Dioſpolis.* In Palaeſtina. *circiter.*	846.	Poſt Ch.	93.
ΔΩΡΕΩΝ. *Dorienſium.* In Cilicia. Froelichius. *circiter.*	623.	Ant. Ch.	131.
ΔΩΡΩΝ, vel ΔΩΡΙΕΩΝ. *Dorienſium.* In Phoenicia.	691.	Ant. Ch.	63.
ΕΙΡΗΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Irenopolitarum.* In Cilicia. *circiter.*	805.	Poſt Ch.	52.
ΕΜΙCΩΝ. ΚΟΛΩΝ. *Emiſenorum Coloniae*, vel ΕΜΙΣΗΝΩΝ. In Phoenicia.	442.	Ant. Ch.	312.
ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. *Epiphanenſium.* In Cilicia. Harduinus.	686.	Ant. Ch.	68.
Epiphania vero Coeleſyriae urbs Pompeianam aeram adhibuit ex Noriſio.	690.	Ant. Ch.	64.
& aliam ex Vaillantio.	791.	Poſt Ch.	38.
ΖΗΛΙΤΩΝ. *Zelitarum.* In Ponto ad Cappadociam.	707.	Ant. Ch.	47.
vel	708.	Ant. Ch.	46.
ΙΕΡΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ. *Hierocaeſarienſium.* In Lydia. Iuxta Vaillantium.	779.	Poſt Ch.	26.
Iuxta Harduinum.	775.	Poſt Ch.	22.
ΙΛΙΕΩΝ. *Ilienſium.* In Troade. Ex Vaillantio.	673.	Ant. Ch.	81.
Ex Harduino.	686.	Ant. Ch.	68.
ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ. *Caeſareae Germanicae.* In Palaeſtina. Ex Harduino.	795.	Poſt Ch.	42.
Ex Noriſio.	791.	Poſt Ch.	38.
vel	792.	Poſt Ch.	39.
ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ. *Caeſareae Auguſtae, ſacrae, & inviolatae ſub Panio monte.*			

In

	V·C.		
In Ituraea. Haec etiam CAESAREA PHILIPPI dicta fuit.	751.	Ant. Ch.	3.
ΚΑΝΩΘΑΙΩΝ. *Canothaeorum*. In Decapoli Palaeſtinae.	691.	Ant. Ch.	63.
ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΩΝ. *Capitolienſium*. In Coeleſyria. Quamvis Harduinus Capitoliadis nomine Aeliam Capitolinam, ſeu Ieruſalem vocatam eſſe arbitretur.	846.	Poſt Ch.	93.
ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ. *Cyrrheſtarum*. In Cyrrheſtica Syria.	442.	Ant. Ch.	312.
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΙΟΥΛΙΕΩΝ. *Julienſium Laodicenorum*. In Syria.	706.	Ant. Ch.	48.
vel	705.	Ant. Ch.	49.
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΛΙΒΑΝΩ. *Laodicenorum ad Libanum*. In Coeleſyria.	442.	Ant. Ch.	312.
Interdum etiam ex Harduino Auguſtana aera.	723.	Ant. Ch.	31.
ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ vel ΛΑΘΔΙΚΕΩΝ. *Laodicea*. In Caria.	565.	Ant. Ch.	189.
ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Leucadiorum*, & ΚΛΑΥΔΙΕΩΝ. Qui dicuntur etiam *Claudienſes* in Coeleſyria; uſque ad Gordiani tempora aeram auſpicabantur ab anno V. C.	801.	Poſt Ch.	48.
Sive ex Harduino.	803.	Poſt Ch.	50.
Sed poſt Gordianum Auguſtana uſi ſunt.	723.	Ant. Ch.	31.
ΛΥΔ. ΚΟΙΝ. *Lydorum Commune*. Froelichius hanc a diviſo per Darium Imperio Perſico deducendam exploravit.	233.	Ant. Ch.	521.
ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. *Commune Macedonum*.	706.	Ant. Ch.	48.
ΜΟΨΕΑΤΩΝ. Cognomine ΑΔΡΙΑΝΩΝ. *Hadrianorum Mopſeatorum*. In Cilicia.	696.	Ant. Ch.	58.
ΝΕΑΠΟΛΙΣ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. Cognomine ΦΛΑΟΥΙΑ. *Flavia Neapolis*. In Samaria.	823.	Poſt Ch.	70.
ΝΕΟΚΑΙΣΑΡΕΙΣ. & ΝΕΟΚΑΙC. ΜΗΤΡΟ. *Neocaeſarienſes*, & *Neocaeſarea*			

	V. C.		
Metropolis. In Ponto Polemoniaco. Ex Vaillantio.	815.	Poſt Ch.	62.
Ex Harduino.	817.	Poſt Ch.	64.
ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Orthoſienſium*. In Phoenicia.	442.	Ant. Ch.	312.
ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Pellaenſium*. In Decapoli Syriae. a Froelichio deprehenſa.	691.	Ant. Ch.	63.
COL. PTOLEMAIS. *Colonia Ptolemais*. Phoenices.	705.	Ant. Ch.	49.
Iuxta Noriſium.	706.	Ant. Ch.	48.
ΡΑΒΒΑΘΑΜΗΝΩΝ. *Rabbathamenorum*. In Syria.	846.	Poſt Ch.	93.
ΡΑΒΒΑΘΜΟΜΗΝΩΝ. *Rabbathmomenorum*. In Arabia, vel Palaeſtina tertia.	811.	Poſt Ch.	58.
ΡΑΜΑΘΗΝΩΝ. *Rhamathenorum*. In Palaeſtina.	650.	Ant. Ch.	104.
ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ. *Rhaphaneotarum*. In Syria.	705.	Ant. Ch.	49.
ΡΑΦΙΑ. *Rhaphia*. In Palaeſtina. Iuxta Harduinum.	691.	Ant. Ch.	63.
Iuxta Noriſium, & Vaillantium melius.	693.	Ant. Ch.	61.
vel	697.	Ant. Ch.	57.
ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ. ΚΟΛΩΝ. Cognomine CΕΠ. *Septimianorum Rheſaenenſium Coloniae*. In Meſopotamia.	885.	Poſt Ch.	132.
Noriſius.	886.	Poſt Ch.	133.
CΑΜΟCΑΤΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠ. *Samoſatenorum, Metropolis*. In Commagena inter an.	823.	Poſt Ch.	70.
&	825.	Poſt Ch.	72.
CΕΒΑCΤΗ. ΙΕΡ. ΑΥ. ΝΑΥΑΡΧ. *Sebaſte Sacra, propriis legibus utens, Claſſica*. In Cilicia. Prius Eleuſa, mox in Augusti honorem *Sebaſte*, hoc eſt, *Auguſta* vocata fuit, *circiter*.	734.	Ant. Ch.	20.
ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΣΥΡΙΑΣ. *Sebaſtenorum Syriae*. Olim Samaria dicebatur. Ex Vaillantio.	729.	Ant. Ch.	25.
Ex Harduino.	727.	Ant. Ch.	27.

ΣΕ-

	V.C.		
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΠΙΕΡΙΑΣ. *Seleucenſium in Pieria*, Syriae regione.	691.	Ant. Ch.	63.
Vſque ad Tiberii tempora *Auguſtanam* aeram uſurparunt.	723.	Ant. Ch.	31.
Noriſius tertiam quoque aeram illis tribuit.	645.	Ant. Ch.	109.
ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Sidoniorum*. Phoenices.	643.	Ant. Ch.	111.
Iuxta Harduinum.	642	Ant. Ch.	112.
Elagabali tamen aetate Seleucidarum aeram recepit.	442.	Ant. Ch.	312.
C. I. F. SINOPE. *Colonia Iulia felix Sinope*. In Ponto. A libertate per Lucullum accepta.	684.	Ant. Ch.	70.
Interdum etiam aeram aliam adhibuit a Colonia per Iulium Caeſarem deducta.	705.	Ant. Ch.	49.
ϹΚΗΨΙΩΝ. *Scepſiorum*. In Aeolide.	723.	Ant. Ch.	31.
ϹΜΑΙΤΩΝ. *Smaitarum*. In Ponto Aſiatico.	817.	Poſt Ch.	64.
ΤΙΒΕΡ. ΚΛΑΥΔ. *Tiberienſium Claudianorum*, ſeu ΚΛΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. In Iudaea, vel Galilaea. Antea *Chenerет* dicta.	770.	Poſt Ch.	17.
Aerae tamen huius initium non ab autumno, ſed a vere, ducendum eſse Noriſius exiſtimavit.			
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Trallianorum*. In Caria. Iuxta Vaillantium.	898.	Poſt Ch.	145.
Iuxta Harduinum.	892.	Poſt Ch.	139.
ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ. *Trapezuntiorum*. Ponti Cappadociae. Aeram hanc Froelichius ex Septimii Severi nummo primus oſtendit.	815.	Poſt Ch.	62.
vel	816.	Poſt Ch.	63.
ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tripolitarum*. Phoenices. *Pompejanam* primum adhibuit ab anno V. C.	691.	Ant. Ch.	63.
Mox Auguſti aetate aeram *Seleucidarum*.	442.	Ant. Ch.	312.
Harduinus etiam *Caeſarianam* illis adſcribit.	705.	Ant. Ch.	49.

	V.C.		
ΤΥΡΟΥ . ΙΕΡΑΣ . ΜΗΤΡΟΠ. *Tyri ſacrae Metropolis*. In Phoenicia.	442.	Ant. Ch.	312.
VIMINACIVM . P . M . S . COL . *Viminacium* : *Provinciae Moeſiae Superioris Colonia*. Ex Aprili menſe ab anno tertio Gordiani Pii, hoc eſt V. C.	993.	Poſt Ch.	240.
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ . ΚΟΙΛΗΣ . ΣΥΡΙΑΣ . *Philadelphiorum Coeleſyriae*.	691.	Ant. Ch.	63.
ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ . *Flaviopolitarum*. In Cilicia.	827.	Poſt Ch.	74.
ΦΛΑ . ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ . *Flaviorum Chalcidenſium*. In Chalcidene Syriae.	845.	Poſt Ch.	92.

Vtinam pari felicitate ac diligentia etiam Latinae urbes ſuis in nummis Epochas inſcripſiſſent. Profecto eorum Chronologiae non parum conſuluiſſent. At illae Conſulatus, & Tribuniciae Poteſtatis annos in ipſis plerumque expreſſere, quas temporis notas modo penſitare non iuvat, ſed opportuniori loco, ubi nempe de Auguſtorum Epochis differemus. Veruntamen omitti non debet Aera Vrbis Conditae, quae in aureis aeneiſque magni moduli Hadriani nummis invenitur, in quibus legitur: ANN. DCCCLXXIIII NAT. VRB. P. CIRC. CON. *anno 874. natali Vrbis*: ceteras ſiglas expendemus in ſecunda operis parte, ubi de dubiis numiſmatum ſiglis.

C A P V T VII.

De inſcriptis Epochis in Graecis, Latiniſque Marmoribus.

EO materiae affinitas, atque operis noſtri conſilium nos adduxit, ut memoratis nummorum Epochis non modo perutile, ſed pene neceſſarium videatur, hic eas adiicere, quas e marmoribus exculpere licuit. Id autem eo libentius praeſtamus, quod nemo adhuc, quod noverimus, huiuſmodi aeras ſimul collegerit, adiectiſque illarum exemplis ſuas veluti in claſſes diſtribuerit. Quamvis enim marmora aut Conſulum, aut Ar-

Archontum nomina, vel Auguſtorum Tribunicae Poteſtatis annos pro certa temporis nota plerumque exhibeant, quandoque tamen quibuſdam Epochis inſignita numiſmatum more conſpiciuntur. Atque utinam maiori in numero in lapidibus illae occurrerent. Maximum ſane monimentorum Chronologiae, & luminis atque praeſidii ex illis acceſſiſſet. Quid vero quod frequentes illae lacunae, quibus tot marmora ſcatent, & vitioſa numerorum compendia, eorumque incondita diſpoſitio, partim a ſcalptorum oſcitantia, partim a ſeculi barbarie profecta, implexas adeo atque incertas nonnullas ex iis Epochis efficiunt, ut ad eas confirmandas omnino alia monumenta in votis habere cogamur. Id fortaſſe in cauſſa fuit, cur ſapientes illi, qui marmora exſcripſere, aut illuſtrarunt, ubi in haſce Epochas inciderunt, obiter tantum eas indicarint, aut prorſus praeterierint. Sed age, inſcriptas in lapidibus Epochas ſubiiciamus, a quibus eam, quae *Interamnatum* dicitur, quaeque in marmore apud Gruterum (1) habetur, expunximus, quod lapis ille à peritiſſimis viris adulterinus merito cenſeatur.

I.

Aera ab Vrbe Condita.

In marmore apud Fabretum (2) legitur:

EXCESSIT ANNO VRBIS CONDITAE
DCCCXCVII.

Sic in Nummo Hadriani legitur:

ANN. DCCCLXXIV. NAT. VRBIS.

Vtrumque facile de Varroniana Aera, ſive annis ab V. C. iuxta Varronis hypotheſim numeratis intelligi debet; de nummo certum eſt.

II.

Aera Hiſpana.

Apud Oliverium (3) habetur ERA CCCCCLI. ubi Clariſſimus Editor exiſtimavit *Aeram Chriſtianam* intelligi, atque annos ab Incarnatione numeratos eſſe: idemque prorſus de aliis inſcriptionibus arbitratur apud Gruterum, in quibus legitur (4).

ERA

(1) Pag. 113. num. 2. (2) Inſcript. cap. 2. pag. 88. (3) In Marm. Piſaur. pag. 67. (4) Pag. 1054.

ERA . D . XLVIII. ERA DCXIIII.
ERA DCXXII. (1) ERA DLXXXII. (2)

Hinc cum Aera Chriſtiana inſtituta fuerit anno Chriſti 525. marmor illud, in quo legitur apud Gruterum (3) ERA . D . III. vitiatum eſſe arbitratur: ſed certe ille fallitur. Siquidem in ſingulis inſcriptionibus illis, anni non ab Incarnatione vel in *Aera Chriſtiana* numerantur, ſed in *Aera Hiſpana*, quae incipit ab anno V. C. 716. & 38. ante Chriſtum. Antiquior enim Aerae Chriſtianae mentio vel uſus ad annum Chriſti 652. referri debet, ut mox de ea differentes opportunius oſtendemus. Habet itaque ſua etiam monumenta Hiſpanica Aera, & in Hiſpanis praeſertim Chriſtianorum titulis memoratur, eiuſque praeſidio mortis anni deſignantur. Quod ut facilius internoſcant ſtudioſi Adoleſcentes hoc proprium illorum marmorum diſcrimen eſſe dixerim; quod in monimentis illis ſemper annorum numerus Romanis characteribus vel notis exprimitur, ſemperque notis ipſis Aerae nomen praefigitur.

III.

Aera Actiaca.

Huius exemplum invenitur in Graeco marmore, quod a Maffeio (4) profertur, ubi legitur: ἔτους $\overline{νε}$ Φαῶφ $\overline{κε}$ ἐπὶ συλλόγου τῆς σκηνοπηγίας. *Anno* LV. *menſis Phaoph die* XXV. *Tabernaculorum conventus tempore*. Siquidem Scenopegiae *primus*, vel *octavus* dies, quo *collecta* fiebat, cum 25. Phaophi Aegyptii die concurrere non poterat, niſi anno V. C. 770. qui eſt 55. a victoria Actiaca, quae quamvis in annum V. C. 723. inciderit, in variis tamen urbibus, tamquam Aerae cardo, a proximo quodam anno ſupputari conſuevit, unde Bereniceneſes, qui marmor poſuerunt, annos illos ab anno V. C. 725. numerare coeperunt, perinde quaſi Aera Actiaca ab illo inciperet.

IV.

Aera Seleucidarum.

Frequentior haec Aera in marmoribus Palmyrenis apud Smithum occurrit (5), ut cum legitur: ΕΤΟΥΣ ΔΙΥ. *anno* 414.

In

(1) Pag. 1060. (2) Pag. 1062. (3) Pag. 1049. (4) Gall. Antiquit. pag. 7. (5) Num. 1. & 2.

In iis aliiſque pluribus exemplis anni in Seleucidarum Aera numerantur, quae incepit ab anno V. C. 442. ideoque annus ille 414. in Aera Seleucidarum concurrit cum anno V. C. 856. ſive Chriſti 103.

V.

Aera Achaica.

In marmore Meſſene poſito legitur ΕΤΟΥϹ Ρ. Ν. Ζ. anno 157. Reineſius (1) ingenioſe coniecit in hac Meſſeniaca, vel potius Achaica Epocha, annum V. C. 764. deſignari, qui cum 157. Aerae Achaicae anno concurrit. Itaque Achaica Aera ab anno V. C. 608. incepit.

VI.

Aera Chriſtiana.

Antiquius Aerae Chriſtianae exemplum omnium primus feliciter detexit Corſinus (2) in Romuleſiae marmore, quod poſt Muratorium (3) iterum ipſe profert, ac mirifice illuſtrat. In eo enim ſic legitur:

ROMVLESIA. MATER FECIT ſILIO SVO
DVLCI EVNV̄ IN PACE INNOCENTE
DEPOSSIONE VIII. H KAL AVG
DΓIFΘ

Ex Epitaphii ſenſu patet hunc titulum a Romuleſia matre filio ſuo poſitum fuiſſe, qui fortaſſe Eunuchus nomine vocabatur, quod viri nomen apud Muratorium alio loco etiam occurrit (4) FVNV̄ pro FVNVS legi debet, ut ex alio Muratorii marmore colligitur (5). Exotica vox DEPOSSIONE ſignificat *depoſitionem habet, ſive depoſitus eſt.* Ita enim alio loco apud Muratorium prorſus habetur (6). Id autem potiſſimum hoc in marmore obſervandum cenſeo, quod depoſitionis dies non Latino ſed inſuper etiam Graeco charactere, vel numerali nota indicatur, quod in aliis monumentis etiam occurrit, cum character H apud Graecos, ut in ſecunda huius Operis parte fuſius ſuo loco oſtendemus, *octo* ſignificet; ac perinde eſſet ſi Latinorum more VIII. *Kal.* quam ſi iuxta Graecos H *Kal.* dice-

(1) Claſs. V. num. 52. pag. 388. (2) Not. Graec. Diſs. III. pag LVI. (3) Pag 1933. (4) Pag. 422. num 5. (5) Pag. 1939. num. 2. (6) Pag. 1838. n. 6.

ceretur. Denique charaſteres alii, vel numerales notae marmori ſubiectae ΔΓΙΦΘ certe anni numerum exhibent, quo Romuleſiae filius occubuit. Ergo ſi numerorum valor ex tabula in ſecunda Operis parte ſuo loco exponenda colligatur,

500 3 180 40 9
Δ Γ Ι Φ Θ

prodibit annus 652. quo 25. Iulii die infans ille tumulatus fuit, quem certe annorum numerum non aliunde quam a Chriſti nativitate, ſeu Dionyſiana Aera, quae ab anno Chriſti 531. iam pridem conſtituta fuerat, deduci poſſe Corſinus oſtendit. Eadem Aera etiam invenitur apud Baronium (1) in Ioannis Nepeſini Praeſulis Latino Epitaphio, quod ipſe profert; ubi numeri annum exprimentes Graecis charaſteribus ſubiiciuntur. At corrigendum tamen Baronium eo in loco exiſtimavit Corſinus (2), quod ex notis illis numerum, ſeu annum 770. conflari credidit, cum annus 771. colligi debeat. Siquidem *undecimo Kalendas Novembres*, quibus Epiſcopus ille interiit, quibusſque apud Romanos adhuc annus 770. agebatur, apud Graecos, qui S. Sabae Monaſterium incolebant, annus 771. a Septembribus Kalendis inchoatus numerari iam coeperat. Frequentius haec Aera deinceps uſurpata conſpicitur; hinc apud (3) Fleetvoodum invenitur inſcriptio poſita *anno Incarnationis* Dñi n̄ri IHV Xri DCCCCVI. Apud Muratorium (4) legitur *anno Domini* DCCCCVI. Itidem (5) Teuperga obiiſſe dicitur anno DCCCCIII. & Arnulfus tumulatus aſſeritur (6) anno Incarnationis Dñ n̄ri IHV XPI DCCC. XCIII. Hilderamus vero (7) anno Incarns D̄ N̄ I X̄ DCCCCII. Denique apud eundem (8) habetur epigraphe poſita A. DNI DCCCLXX. quo tamen loco Clariſſimus Editor monuit fortaſſe legendum eſſe MCCCLXX.

VII.

Aera Marmoris Parii, ſive Marmorei Chronici Oxonienſis.

Praeſtantiſſimus huius marmoris Auſtor, quum illuſtriora Graeciae, ſed in primis Atticae Hiſtoriae capita exponere, & ad ſua quaeque tempora revocare vellet, ubi praemiſiſſet ſe eo anno ſcribere, quo Diognetus Athenis, Aſtyanax in Paro Ar-

(1) Ad annum Chr. 770. (2) Not. Graec. Diſs. III. pag. LIV. (3) Pag. 461. num. 5. (4) Pag. 1941. num. 1. (5) Pag. 1948. num. 1. (6) Pag. 1831. (7) Pag. 1885. num. 6. (8) Pag. 1932. n. 3.

Archon erat, hoc eſt, ut certiſſimis argumentis aliis apparet, anno I. Olymp. CXXIX. ita ſuperiorum Archontum ſitum, aut Olympicos annos, quibus Hiſtoriam quandam contigiſſe memorat, expreſſit, ut ab anno primo Olymp. CXXIX. veluti cardine verſus antiquiora tempora aſcendendo, annos numeret. Itaque in hoc Oxonienſis marmoris Epocha a ceteris diſſidet, quod in illis ab antiquo termino ſeu cardine annorum numerus colligatur; at in Oxonienſi Chronico numerus ille retrograda ſerie a noviſſimo vel extremo cardine deducatur.

VIII.

Indictiones.

Aerae inſtar haberi poſſunt Indictiones, quae in Graecis, & Latinis marmoribus occurrunt. Montfauconius (1) EN INΔ. TETAPTI. Placentinus (2) marmor exhibet anno Mundi 6640. ſive Chriſti 1132. erectum, cuius in fine habetur.

ЄTOC $\overline{\varsigma}$ $\overline{X}$ $\overline{M.}$ $\overset{\Delta}{\text{INI}}$ $\overline{I}$ +

anno Mundi 6640. *Indictione* X.

Alterum marmor Montfauconius profert, quod ita definit.

$\overset{\pi}{\Upsilon}$. $\overset{s}{\Phi\Lambda}$. ΑΠΠΙΩΝΟC. ΤΟΥ.

$\overset{s}{\Lambda\text{AM}\Pi\text{P}}$. $\overset{s}{\text{IN}\Lambda}$. B. +

Poſtrema haec verba ita Auctor Cl. latine reddidit. *Conſule Fl. Appione ſplendidiſſimo illuſtri* 2. vel *poſt Conſulatum eius anno* 2. Cumque Appion Conſul extiterit anno Chriſti 539. hoc in marmore annum 541. indicari opinatur, quo Baſilius Conſulum Faſtis inſcribitur. Montfauconio Relandus inhaerens ultima illa eiuſdem marmoris verba ita vertit: *poſt Conſulatum Flav. Appionis Viri Clariſſimi anno II.* At Corſinus (3) omnino legendum aſſerit INΔ. B. latineque reddendum: *Conſule Flavio Appione Viro Clariſſimo, Indictione II.* Chriſti enim annus 539. quo Appion Conſul extitit *Indictione II.* notatur, nihilque fuerat cur annus Chriſti 541. poſt Conſulatum Appionis II. diceretur, cum is Baſilii ordinarii Conſulis nomine ſigna-

K

(1) Diar. Italic. cap. 21. pag. 315. (2) Palaeogr. pag. 33. (3) Not. Graec. pag. 32.

gnaretur. Quare non INΛυστρίυ, ut Montfauconio viſum fuit, ſed INΔικτίωνι reſtituendum eſt.

IX.

Anni Mundi.

Huiuſmodi Aera a Graecis, ſed ſequioribus temporibus in marmoribus eſt expoſita. Illius exemplum nuper prae oculis obverſatum eſt in marmore apud Placentinum, in quo praeterea etiam Indictio affigitur. Sponius (1) in fine marmoris, quod *Baſilii*, & *Conſtantini* temporibus poſitum fuit, legit: EN ETE ΚΦΚΑ. Characteres iſtos ob nimiam obſcuritatem Sponius inexplicatos omiſit; Montfauconius vero (2) optime feliciterque obſervavit, ibi legendum eſſe ϚΦΚΑ, ut annus Mundi 6521. ſive Chriſti 1013. exprimatur, quo revera *Baſilius* II. una cum fratre *Conſtantino* VIII. imperabant. In alio marmore, quod Manuele Comneni, ac Irenes filio imperante excitatum fuit, legitur: HN ETEI ΦΧΟΒΜΒ; idque veluti inextricabile Sponius reliquit. Montfauconius tamen ita reſtituendum merito cenſet: ϚΧΟΒ IN IB. adeoque reddidit *anno* 6672. *Indictione* XII. quod nimirum anno Mundi 6672. ſive Chriſti 1164. Indictio XII. ac vigeſimus Manuelis imperii annus decurreret. Seldenus inter Arundelliana marmora (3) inſcriptionem multo ſane implexam refert, cuius in fine characteres annum oſtendentes, licet mutili aliquantulum videantur, tamen optime Cl. Editor ſupplet, atque ita ſe habent: ЄΤȢC ЖΛωΓ ⸸, nempe *anno*, ait Seldenus, *ni fallor*, VIMDCCCCXXXIII. †. Idem marmor iterum profert, eiuſque lacunas maxima ex parte mirifice ſupplet Corſinus (4), verum quod ad numerales anni notas attinet, minime diſcrepat a Seldeno. Solum pro littera Ж refingit Epiſemon Ϛ, quod haec etiam nota ſequioribus temporibus loco ipſius Ϛ ſive C invecta fuerit, ut in ſecundo capite alterius Operis partis fuſius oſtendemus.

CAP.

(1) Itin. pag. 101. (2) Palaeogr. pag. 147. (3) Pag. 56. (4) Not. Graec. Diſs. III. pag. LIII.

CAPVT VIII.

De ratione, qua datus annus in Aera quapiam numeratus, ad quamlibet Aeram aliam praeſertim Chriſtianam reducatur, & quo pacto Epochae e nummis comprobari, aut etiam erui poſſint.

SI datus annus Olympicus ſit, atque ad annos Vrbis Conditae referri debeat, obſervandum erit quod Roma anno 23. Olympico, ſeu an. 3. Oly. 6. condita fuit, ideoque primus V. C. annus integris annis 22. poſterior Olympico primo eſſe debet (1). Itaque data Olympiade eiuſque anno, praecedentium Olympiadum numerus per 4. multiplicetur, annique labentis Olympiadis adiungantur. Tum ex integra illorum ſumma numerus 22. detrahatur, annuſque qui ſupereſt, erit annus V. C. qui dato anno Olympico reſpondet. Sit annus I. Olymp. 87. Olympiades 86. iam completae per 4. multiplicentur, efficiunt annos 344. addito anno I. ſequentis Olympiadis 87. fiunt anni Olympici 345. detractis 22. ſupereſt annus 323. V. C. qui dato anno I. Oly. 87. reſpondet.

Si viciſſim datus annus V. C. ad annum Olympicum referri debeat, dato anno adiungantur 22. & integra ſumma dividatur per 4. numeruſque exſurgens indicabit Olympiades integras iam elapſas; ſi aut 1. aut 2. aut 3. ſupererunt, ſpectabunt ad proximam Olympiadem. Sit annus V. C. 323. quaeraturque cui Olympico reſpondeat. Numero 323. adiungantur 22. & integra ſumma 345. dividatur per 4. prodibunt Olympiades integrae 86. & ſupererit annus I. qui ad ſequentem Olympiadem 87. ſpectabit; adeoque annus V. C. 323. concurret cum anno I. Oly. 87.

Si datus annus Olympicus ad Periodum Iulianam referri debeat, ſive inquiratur quotus in illo ſit, obſervetur primum annum Olympicum incidiſſe in annum P. I. 3938. ideoque inte-

 gra

(1) Cum tamen Roma condita fuerit XI. Kal. Maias, ſeu die 21. Aprilis, atque Olympicus annus 23. ſeu annus 3. Oly. 6. poſt duos menſes finem haberet, committi etiam poteſt primus annus Romae cum anno 4. Oly. 6. ſeu cum 24. Olympico.

gra annorum Olympicorum ſumma ſemper numero 3937. adiungatur. Sic annus I. Oly. 114. quo Alexander M. obiit, eſt Olympicus 453. qui numerus una cum 3937. efficit annum P. I. 4390. huic anno Olympico reſpondentem.

Viciſſim dato anno P. I. 4390. ſi quaeratur annus Olympicus illi reſpondens detrahantur ſemper anni P. I. 3937. qui annos Olympicos praeceſſere, & reſiduum 453. dividatur per 4. indeque prodibit Olympias, ac Olympiadis annus dato anno P. I. reſpondens.

Si datus annus V. C. ad annum P. I. referri debeat, obſervetur, Romam conditam fuiſſe anno P. I. 3951. adeoque anno dato V. C. ſemper addantur anni 3950. orieturque numerus exprimens annum P. I. anno dato V. C. reſpondentem.

Quod ſi datus annus P. I. aut Olympicus, aut V. C. ad Aeram Chriſtianam referendus ſit, animadvertatur primo, Aeram Chriſtianam incepiſſe anno P. I. 4714. itaque datis annis Aerae Chriſ. adiungantur 4713. ſic annus 284. Aerae Chriſ. erit 4997. P. I.

Viciſſim ſi ex dato anno 4997. P. I. detrahantur 4713. ſupererit annus 284. Aerae Chr. reſpondens anno dato P. I.

Quod ſi annus P. I. minor ſit numero 4714. ex. gr. ſit 3986. detrahatur hic ex 4714. & reſiduum 728. indicabit datum annum P. I. 3986. eſſe 728. ante Aeram Chr.

Obſervetur ſecundo, quod Aera Chriſtiana incepit anno 754. ab V. C. ergo dato anno Aerae Chriſtianae adiungantur 753.

Viciſſim dato anno V. C. 825. detrahantur ex illo anni 753. reſiduum 72. indicabit annum V. C. 825. eſſe 72. in Aera Chriſtiana. Quod ſi an. V. C. minor ſit numero 754. ex. gr. ſit 426. detrahatur hic ex 754. reſiduum 328. indicabit datum annum V. C. eſſe 328. ante Aeram Chriſtianam.

Pro Olympiadum annis calculus iniri poterit obſervando Chriſtianam Aeram incepiſſe an. I. Oly. 195. hoc eſt anno Olympico 777. ſive faciliori ratione Olympicus annus ad annum V. C. vel P. I. ſibi reſpondentem potius reducatur, & annus iſte V. C. vel P. I. ſic inventus ad Aeram Chriſtianam methodo ſuperius expoſita revocetur.

Si vero ſermo ſit de anno Aerae Seleucidarum ad Aeram Chriſtianam referendo, meminiſſe oportet, quod Aera illa incipit ante Aeram Chriſtianam 312. ideoque ſi datus annus in Aera Seleucidarum a ſumma annorum 313. deficiat, ille ab hoc de-

dematur, & quod remanet, quotus ſit annus datus ante Chriſtum, palam efficiet. Si vero ſummam annorum 312. ille excedat, haec ſumma ab illis ſubducatur, quodque ſupererit, quotus poſt Chriſtum ſit annus datus indicabit. Sic annus 137. in Aera Seleucidarum, erit 176. ante Chriſtum, & annus 2068. eiuſdem Epochae erit 1756. poſt Chriſtum.

Similiter ſi inquiratur annus Iulianus quotus ſit ante vel poſt Aeram Chriſtianam, animadvertatur an propoſitus annus Iulianus minor fuerit numero 46. & tunc ille ab hoc dematur, & quod remanet, quotus ſit ille ante Chriſtum, oſtendet. Si vero fuerit maior, numerus 45. ex illo ſubducatur, & reſiduum quotus poſt Chriſtum annus ipſe ſit, demonſtrabit. Sic annus Iulianus 15. fuit 31. ante Chriſtum, & annus Iulianus 73. fuit 28. ante Chriſtum.

Eadem ratione inveniri poterit quotus ſit datus annus Aerae Hiſpanicae ante vel poſt Epocham Chriſti. Nam ſi datus annus illius Aerae minor fuerit 38. erit ante Chriſtum; erit vero poſt Chriſtum, ſi numerum 38. exceſſerit. Quare in primo caſu ſubducatur ex numero 39. annus Aerae Hiſpanicae propoſitus, & in ſecundo caſu numerus 38. a dato anno illius Aerae dematur, quod enim utrobique reſiduum habetur, quaeſitum annum ante vel poſt Aeram Chriſtianam indicabit. Ita annus 8. Aerae Hiſpanicae, erit 31. ante Chriſtum, & annus 1421. eiuſdem Aerae, erit 1383. poſt Aeram Chriſtianam.

At ſi inquiri debeat aliquis annus datus ab Actiaca Victoria, quotus ſit ante vel poſt Chriſtum, obſervetur, ſi datus annus fuerit minor numero 32. & ſi ita erit, ille ab hoc dematur, & quod ſupereſt, quotus ſit datus annus ante Chriſtum oſtendet. Si vero maior fuerit numero 31. hic ex illo ſubducatur, & reſiduum, quotus ſit annus propoſitus in Aera Chriſtiana, palam faciet. Annus ergo ab Actiaca clade 9. erit 23. ante Chriſtum, & annus ab illa 1787. erit 1756. in Aera Chriſti.

Pro converſione vero annorum Nabonaſſari in annos ante vel poſt Chriſtum, ſubiecti termini conſiderandi ſunt.

Ante Chriſtum.		Poſt Chriſtum.			
1	2	1	2	3	4
227.	747	1688.	3149.	4610.	6071.

Obſervandum eſt igitur, an numerus annorum Nabonaſſari propoſitus, deficiat a numero 747. an vero illum excedat.

Nam

Nam ſi primum, erit ante Chriſtum; ſi ſecundum, erit poſt Chriſtum. In primo propterea caſu conſiderandum eſt, quo termino datus annus Nabonaſſari ſit proxime minor. Enim vero ſi minor proxime fuerit *primo* 227. ſumma annorum data ſubducenda eſt a numero 747. & unitas reſiduo eſt addenda. Si vero fuerit proxime minor *ſecundo* termino 747. detracta ſumma ab ipſo 747. debent duae unitates reſiduo adiungi, & quod in utroque caſu emergit, erit annus Chriſti quaeſitus. Sic annus Nabonaſſari 128. erit 620. *Iulianus* ante Chriſtum; & annus Nabonaſſari 386. erit 363. *Iulianus* itidem ante Chriſtum. In ſecundo autem caſu ſi annus in Aera Nabonaſſari una tantum unitate exceſſerit terminum 747. ille erit *Iulianus* primus in Aera Chriſti; ſi exceſſus vero fuerit plurium unitatum, obſervari debet quo termino ſit proxime minor. Nam ſi fuerit minor *primo* 1688. addenda eſt unitas numero 747. tum ſumma ſubtrahi debet ab anno propoſito. Si fuerit proxime minor *ſecundo* 3149. duae unitates addendae ſunt numero ſubtrahendo 747. atque ita deinceps, & quod ſupereſt, erit annus Chriſti quaeſitus. Sic annus Nabonaſſari 1520. erit *Iulianus* 772. in Aera Chriſti; & annus Nabonaſſari 2820. erit 2071. itidem Iulianus poſt Chriſtum.

Haec monuiſſe ſufficiat de ratione, qua celebriores Epochae a nobis ſuperius memoratae ad alias revocari poſſint, & praeſertim ad Aeram Chriſtianam. Ex iis vero, quae hactenus de hac ratione proſecuti ſumus, facile quiſque intelliget, quomodo etiam iniri debeat calculus pro aliis Epochis, quas omiſimus, & potiſſimum pro illis nummorum. Sed de iis pauca ulterius ſubiicere optimum duco.

Ad Epocharum annos in nummis inſcriptos facili negotio aſſequendos meminiſſe iuverit, quod antea praefati ſumus, nempe pleraſque nummorum Epochas ab autumno initium ducere, atque adeo anno Romano, qui a Kal. Ianuariis exorditur, non integre reſpondere. Quare pro huiuſmodi calculo haec obſervanda ſunt.

Si Aerae initium certe pateat, & occurrat in nummis numerus Aerae ex. gr. 8. quae Aera certe ſciatur coepiſſe autumno an. V. C. 798. tum huic numero adde 8. & erit 806. an. V. C. cuius autumno exiit annus octavus illius Aerae. Si vero addas 7. habes an. 805. cuius autumno coepit octavus annus eiuſdem.

Si

Si vero neſcias exordium Aerae, ſcias autem ex aliqua nummi nota, quoto anno Imperatoris, ac proinde quoto V. C. anno ante autumnum nummus ille percuſſus ſit, ſubtrahe numerum Aerae ſignatum ex. gr. 8. ab anno iſto V. C. ex. gr. 806. & erit 798. anno V. C. cuius autumno illa Aera initium habuit. Si ſubtrahas 7. habes 799. an. V. C. cuius autumno exiit primus annus Aerae.

At ſi Aerae initium nondum ſcias nec nummus, qui annorum numerum exhibet, oſtendat quo anno cuſus ſit; intra eos imperii annos, quibus nummus ille convenire poterit, incerta ſemper fluctuabit Epocha, niſi intra ſpatium illud ſubtractione memorata ſupputatum, inſigne quiddam apud hiſtoricos occurrat, quod aperte ſuadeat, illam Vrbis aut Provinciae Epocham ab eo anno eſſe inchoatam.

Qua vero arte atque praeſidio huiuſmodi Epochae e nummis, aut certo comprobari, aut etiam erui facile queant; uno & altero exemplo e Noriſio petito nunc demonſtrabo. Seleucidarum Epocham, non in alium quam in toties memoratum V. C. annum 442. incidere potuiſſe, duo numiſmata evincunt; alterum Hadriani ita inſcriptum: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΤ. *Tripolitanorum*, in Syria, *anno* 428. Alterum Antonini Caracallae: ΕΜΙCΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑC. ΗΚΦ. *Emiſenorum Coloniae anno* 528. Ex priori nummo deducitur, Epocham Seleucidarum exordiri non potuiſſe ante annum V. C. 442. Etenim cum ex ſcriptoribus, & ex hac ipſa numerorum ſumma 428. conſtet Tripolitanos Epocha Seleucidarum uſos eſſe; illud etiam conſiderari neceſſe eſt, Hadrianum imperium adiiſſe an. V. C. 870. die undecima Auguſti. Ergo ſi ab 870. ſubtrahas 428. pervenies ad coeptum in autumno primum annum Seleucidarum an. V. C. 442. Iam ſi Seleucidarum Aera ſtatuta fuiſſet an. V. C. 441. annus Tripolitanorum 428. coepiſſet an. V. C. 868. in autumno, & exiiſſet an. 869. in autumno, a quo Graeci annum auſpicantur. Verumtamen anno 869. nondum imperium aſſecutus fuerat Hadrianus. Minime igitur in anteriorem annum, quam V. C. 442. Seleucidarum Epocha ſtatui poteſt. At neque in annum aliquem poſteriorem hanc Epocham removeri poſſe memoratus Caracallae nummus oſtendit, in quo Emiſeni, quos Seleucidarum Aeram adhibuiſſe conſtat, annum 528. inſcripſerunt. Satis enim innoteſcit Caracallam interfectum fuiſſe an. V. C. 970. die octava Aprilis. Si igitur a 970. ſub

ducas

ducas 528. reſpondet primus annus Seleucidarum an. V. C. 442. Qua de re ſi Aera Seleucidarum ſerius inchoaretur an. V. C. 443. annus 528. Emiſenorum exordiretur ab autumno anni V. C. 970. quo Caracalla iam in Aprili e vivis exceſſerat. Quapropter in Caracallae viventis nummo annus 528. ſignari minime potuiſſet.

Alterum vero exemplum, Actiacam Aeram ab an. V. C. 623. proficiſci duobus Tiberii nummis demonſtrat. In illorum primo ita legitur: A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno primo Tiberii, ſub Silano, Antiochenorum, anno* 45. In alio ita habetur: Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Anno tertio Tiberii, ſub Silano, Seleucianorum, anno* 47. Conſtat porro, annum primum Tiberii eſſe V. C. 768. a quo ſubducendo 45. ſupereſt 723. Epocha Actiaca. Eadem ratione alter nummus annum Tiberii tertium, eamdemque Aeram comprobat.

CAPVT IX.

De ratione annorum deſignandorum per Auguſtorum annos in Imperio, ſive de Auguſtorum Epochis in ſcriptoribus, & monumentis.

AD Auguſtorum illorumque Hiſtoriae Chronologiam a ſcriptoribus traditam, ſeu nummis marmoribuſque conſignatam facili & expedita methodo aſſequendam, duo ſunt, quae veluti ſumma rerum capita ſtudioſis adoleſcentibus ſerio animadvertenda, & probe cognoſcenda proponimus; varios nempe Imperatorum cardines, a quibus illorum anni in imperio deduci poſſunt, & diverſos mores rationeſque a ſcriptoribus uſurpatas in temporibus illis definiendis. Et quoniam in re verſamur, ex qua ne dum profanis, ſed ſacris etiam Hiſtoriis & Antiquitatibus plurimum ſplendoris atque praeſidii accedit, paulo ſuſius eam pertractabimus. Hoc autem eo libentius facimus, quod Chronologi vulgo rem hanc vel praeterierunt, vel de ea aliquantulum ieiune diſſeruerunt. Quare muneris noſtri eſſe duximus, eam ad certa quaedam capita revocare, nonnulloſque etiam canones pro eadem ſubiicere; quemadmo-

modum ſtuduimus rerum obſcuritates atque moleſtias, quibus haec materia plurimum ſcatet, ſcriptorum exemplis illuſtrare, ac iucunda quadam quaeſtionum eruditione, quas ob rei affinitatem attingimus, temperare. Itaque praemitto primum pro generali canone, quod primus cuiuſque Auguſti annus in imperio, in hac de qua eſt ſermo numerandi ratione, ceu Epochae exordium habetur a ſcriptoribus, & in monimentis, actiſque publicis ab eo cardine anni ſignantur. Sunt tamen nonnulli Imperatores, quorum primus annus in imperio a diverſo cardine repeti poteſt. Talis eſt Aera Iulii Caeſaris, qui licet menſe Iunio Pompeium profligaverit (1), non ab eo tamen tempore anni Aerae Caeſarianae, ſeu illius imperii, deinceps numerati fuere, ſed communiter a Kal. Ian. anni inſequentis, quo dictaturam annuam iniit, & Conſul proceſſit. Verumtamen non omnes ſcriptores, qui Imperatorum ſeriem ab Iulio Caeſare auſpicantur, ab eo cardine Caeſaris annos computare ſolent; hinc varietas illa in Caeſareae Monarchiae annis ſtatuendis, ut nimirum alii tres annos illi adſignent, ut Auſonius, alii quatuor cum menſibus aliquot, ut Euſebius in Chronico, alii quinque. Omnium optime Ioſephus, qui vel a Pompeii morte, vel a ſecunda Caeſaris dictatura Monarchiae eius primordia deſumit, quando ait eum occiſum *exactis in principatu ſuo tribus annis cum dimidio*. Quemadmodum a prima Iulii Caeſaris dictatura Antiochenos, a ſecunda vero Laodicenos in Syria Caeſariana tempora numeraſse alio loco ſtatuimus (2). Plura tamen in Auguſto imperii veluti exordia animadverti debent, quibus perſpectis, ea diſsidentium ſcrip-

(1) Pharſalicae pugnae menſem & diem, de quibus varie Eruditi diſſeruere, quique hactenus incerti fuerant, nobis demonſtravit vetuſta marmorea tabula, non multos ante annos inter veteris Antii rudera reperta, quam aeri inciſam vulgavit primus an. 1723. Franciſcus Blanchinius in Prolegomenis ad Anaſtaſii Bibliothecarii tomum ſecundum pag. 222. extat modo in Aedibus Capitolinis. Ea tabula recte a Blanchinio *Kalendarium Antiatinum* a loco in quo eſt inventa, appellatur. Ibi ergo ad V. ID. AVG. legitur: DIVVS IVL. PHARSAL. VICIT. qui fuit IX. Iunii anni Iuliani proleptici; V. C. 706. ante Ch. 48. Ita enim V. *Idus Auguſti* in Kal. Antiatino adnotata, poſt Iulianam emendationem retrahenda eſt ante anni Iuliani emendationem. Rem prope acu tetigit magnus Noriſius contra Petavium diſſerens de menſe; & die pugnae Pharſalicae. Vid. de Epoc. Syro-Mac. Diſſert. III. cap. IV. & in Cen. Piſ. Diſſert. II. (2) Cap. 6. de Regionum &c.

torum loca, quae de Octavii aetate in imperio paſſim offenduntur, nullo fere negotio conciliantur. Itaque quamplurimi ſunt Auctores, qui a Iulii Caeſaris nece, ideſt ab idibus Martiis, anno Iuliano ſecundo V. C. 710. ante Chr. 44. Auguſti imperium exordiuntur. Ita Ioſephus [1] cum ait, *praefuit Reipublicae annos quinquaginta ſeptem, ſex menſibus, & diebus duobus amplius*; & Euſebius ubi tradit imperaſſe Auguſtum *ſeptem, & quinquaginta annis*, licet menſes & dies numerum illum excedentes negligat [2]. Imo plerumque a memorato cardine huius Imperatoris initium repetunt Patres antiqui, & ſcriptores Eccleſiaſtici in Chronicis & Annalibus, ubi Chriſtum quadrageſimo primo aut ſecundo, aut tertio Auguſti anno, natum eſſe ſcripſere, ut Irenaeus, Tertulianus, Hieronymus, Epiphanius, licet de Epiphanio aliter velit Petavius [3]. Sed ſunt alii & bene multi, qui ab anno ſequenti, ſeu 3. Iuliano V. C. 711. quo ſuffectum Conſulatum 14. Kal. Septembris Auguſtus arripuit, illius imperii annos exordiuntur. Hinc curioſorum illa obſervatio apud Tacitum [4], quod *idem dies accepti imperii princeps & vitae ſupremus fuerit*, imperio a primo hoc conſulatu, licet ſuffecto, non male auſpicato. Et quia eo item anno Auguſtus V. Kal. Decembris, ut Gruteriana inſcriptio teſtatur [5], cum Lepido & Antonio Reipublicae conſtituendae cauſſa foedus inivit, ideo in hoc tertio anno Iuliano duplex veluti cardo Auguſti annos numerandi, diſtingui debet, a quorum primo Tacitus & Dio, & Auctor de claris Oratoribus [6], ab altero vero Svetonius [7], & Eutropius [8] Octavii principatus initium deducunt, annos fere duodecim ad victoriam Actiacam, a qua Monarchiam eius auſpicantur, numerantes. Hiſpani autem cum anno V. C. 715. in Octavii poteſtatem per Domitium Calvinum redacti fuiſſent a Kal. Ianuariis inſequentis anni nempe V. C. 716. ante Chr. 38. anno Iuliano 8. aeram ſuam, Auguſtique imperium inchoavere. Anno vero V. C.

723.

(1) Lib. 18 Antiq. cap. 3. (2) Quamvis Scaliger, & Petavius, Euſebium ab anno Iuliano III Auguſti initium computaſſe contendant. Vid. Pag. ad Appar. Chr. num. 70. (3) In Animad. Epiphan. pag. 130. (4) Lib. I. Annal cap. 9 (5) Pag. 208. (6) Baronius Apparat. ad Annal. Eccleſ. inter exempla, quae refert eorum, qui a nece Caeſaris annos Auguſti numerarunt, recenſet etiam Tacitum, ſive alium Auctorem Dialogi de claris Oratoribus. Verum Auctor ille non 58. ſed 56. annos Auguſto tribuit, & manifeſte a Triumviratu imperium exorditur, ut obſervat Pagius Appar. Chr. num. 72. (7) In Octav. cap. 8. (8) Lib. 7.

723. ante Chr. 31. Iuliano 15. Septembris die ſecundo, habita eſt pugna Actiaca, ab eaque annorum Monarchiae Auguſti numeratio eſt inſtituta; ideoque ab illa Auguſti imperium exordiuntur ſcriptores illi, qui 44. annos Octavium regnaſſe tradiderunt. Proficiſcitur a pugna Actiaca aera Antiochena, quae in variis Praeſidum Syriae nummis occurrit, ſed de ea alio loco pertractavimus (1). Non deſunt tamen ſcriptores, qui annos Actiacos ab anno inſequenti, ſeu a capta Alexandria, & ab Antonii morte deſumunt, ut Ptolemaeus (2), & Clemens Alexandrinus (3), qui proinde 43. imperii annos Auguſto aſſignant (4). Sed quoniam nimis operoſum eſſet ire per ſingulos Auguſtos, ut ſtudioſi Adoleſcentes hanc cardinum varietatem in Auguſtorum annis recenſendis ſuis in fontibus hauriant, in certa quaedam capita, ex quibus illa profecta eſt, rem totam perſtringemus. Ac primo duplex veluti imperium diſtingui debet, quorum unum Proconſulare, alterum vero Auguſteum dici poteſt. Poſtremum hoc deſumitur a die, quo ii qui ad imperium evecti erant, Auguſti denominabantur; aliud vero a die, quo imperii Collegae (5) creabantur, hoc eſt, Imperatoris nomine & Tribunitia Poteſtate, atque ut plurimum Proconſulari etiam imperio cohoneſtabantur. Vtrumque imperium velut duplex Auguſtorum Epocha conſiderari debet; & revera in nummis & lapidibus, ut plurimum Auguſtorum anni ſignantur, non a tempore, quo illis Auguſti titulus delatus fuit, ſed a tempore, quo Imperatoris titulum cum imperio Proconſulari (6), & Tribunitia Poteſtate (7) obtinuerunt. Scriptores vero, quamquam fere ſemper, dum Imperatorum annos recenſent, imperii Auguſtei aetatem deſignent, tamen quandoque alio

(1) Cap. 6 de Regionum &c. (2) In Regum Canone. (3) Lib. I. Strom. (4) Hinc Dio Lib. 51. pag. 475. *diem quo capta fuit Alexandria, feſtum eſſe cenſuerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium ſumendum Aegyptii.* (5) Pag. Crit. Bar. ad an. 141. per Tribunitiam Poteſtatem, ſimulque imperium Proconſulare Auguſtorum Collegas ſemper dictos fuiſſe, acriter contendit. Verum Tacitus Annal. I. cap. 3. & Velleius Lib. II. cap 99. Svetonius *in Tito* cap. 6 Capitolinus cap 27. Collegae dignitatem, Tiberio, Tito, Commodo conceſſam, per ſolam Tribunitiam Poteſtatem deſignant, nulla habita de imperio Proconſulari mentione. (6) Per Proconſularem Poteſtatem acquirebant Auguſtorum Collegae imperium omnium exercituum extra Romam, eadem auctoritate, qua olim Conſules. (7) De Tribunitia Poteſtate multa inferius diſſerentur, ubi erit ſermo de nummis & lapidibus cum ea inſcriptis; & iterum cap. 5. ſecundae partis, ubi de Titulis Auguſtorum.

etiam cardine utuntur; ut Xiphilinus, Zonaras, & Cedrenus, cum tradunt Antoninum Pium imperaſſe 24. annos, & utrumque extremum annum pro integro numerant, exordiuntur Antonini aetatem a tempore, quo per Tribunitiam Poteſtatem imperii Collega creatus fuerat; namque ut Auguſtus annos tantum 22. & menſes 7. regnavit. Quin cardinem hunc reſpicit ipſe S: Lucas (1) quando ſcripſit *anno quinto decimo imperii Tiberii Caeſaris;* ubi iuxta Pagium (2), alioſque graviſſimos Auctores, numerandi initium deſumi debet non a die mortis Auguſti, ſed a die & anno, quo Auguſtus Tiberium in imperii Collegam ſibi adſcivit, hoc eſt illi Tribunitiam Poteſtatem cum imperio Proconſulari conceſſit, nempe an. Chr. undecimo (3), Caeſaris Auguſti 55. Secundo vero obſervari maxime decet Imperatores ad Principatum perveniſſe, vel ob haereditatem, vel ob electionem. Ob haereditatem rurſum dupliciter, vel propriam nempe, vel impropriam. Haereditas propria vulgo intelligitur ea, quae tranſibat in propinquos, praecipue vero in filios, & nepotes. Hac ſane imperium obtinuerunt Auguſtus, Tiberius, Caius, Titus, Domitianus, Commodus, Caracalla, aliique; impropriam haereditatem appellamus, quae non ex affinitate, ſed ex Auguſtorum placito ſucceſſoribus contingebat, eaque provecti ſunt Hadrianus, Antoninus Pius, M: Aurelius, Claudius Gothicus, Conſtantius Clorus cum nonnullis aliis. Ob electionem vero quadrupliciter; nempe vel Imperatoris, vel Senatus, vel Militum, vel Senatus ſimul & Militum. Electione Imperatoris creati ſunt Traianus, L. Verus, Carinus, Maximianus ſenior, aliique non pauci. Electione Senatus Balbinus, & Pupienus, Hoſtilianus, Quinctillus, Tacitus, Conſtans Iunior. Electione Militum imperium plurimi adepti ſunt, & hi quidem dupliciter, vel per Praetorianos, ut Claudius, Nero, Nerva, Didius Iulianus, quibus addi poſſunt Otho, Pertinax, Leo, & Auguſtulus; vel per exercitum, & Legiones, ut Galba, Vitel-

(1) Luc. cap. 3. v. 1. (2) Apparat. Chr. num. 150. & Crit ad an. XI. num. 2. Veruntamen non deſunt qui alio S. Lucam ſpectaſſe eo loco velint, credantque S: Scriptorem in annis imperii Tiberii Caeſaris numerandis, ſe ſe plane ad annos Romanos ſeu Iulianos accomodaſſe, atque de imperio Auguſteo revera locutum fuiſſe. Vide Polit. in Comment. Martyr. ad diem 7. Ianuar. pag. 121. (3) Acriter decertant Eruditi de anno quo Tiberius renunciatus fuit imperii Collega, minime vero de die & menſe, cum conſtet fuiſſe diem 28. Auguſti. Nos ſincronum ſcriptorem Velleium ſecuti, undecimum Chriſti annum ſtatuimus, licet Tacitus, & Svetonius a Velleio diſſentiant.

Google

tellius, Veſpaſianus, Septimius Severus, Macrinus, Elagabalus, Maximinus, Gordiani Africani duo, Philippus, Decius Gallus, Aemilianus, Valerianus, Aurelianus, Probus, Carus, Diocletianus, Iovianus, Valentinianus, Glycerius, Phocas, Philippicus Bardanius, Theodoſius III. Leo III. Electione Senatus & Militum ſimul creatos legimus Gordianum III. Avitum, Heraclium, & Arthemium. Hac igitur duplici obſervatione praemiſſa, ſequentes veluti leges pro Auguſtorum Epochis ſtatui poſſunt. In iis, qui vel haereditate propria, vel impropria, aut Auguſtorum electione, aut Senatus acclamatione, vel Senatus ſimul & militum, imperium ſunt conſecuti, unus tantum imperii Auguſtei cardo conſiderari poteſt; ac proinde in illorum annis auſpicandis nulla inter ſcriptores diſſenſio eſſe debet, cum primus natalis imperii dies illorum Imperatorum ab uno tantum temporis exordio repeti queat. Quod ſi quandoque de illorum aetate diſſidium aliquod occurrat apud Auctores, id fiet quod a nonnullis illorum, qui fuerit natalis imperii dies, falſo aſſignatur, non vero quod a multiplici cardine eorum Auguſtorum imperium poſſit exordiri. Verumtamen inter eos, qui haereditate propria vel impropria, & Auguſtorum electione imperium obtinuerunt, nonnulli ſunt, qui praeter Auguſtei imperii cardinem alium etiam habere poſſunt, ſcilicet imperii Proconſularis, quod antea quam Auguſti evaderent ſolique dominarentur, in imperio Conſortes creati fuerant; tales ſunt Tiberius, Titus, Traianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, Commodus, Caracalla, & Geta (1), qui omnes priuſquam Auguſti forent, Imperatoris titulo, & Tribunitia Poteſtate donati fuere, adeoque in ipſis praeter Auguſtei imperii cardinem hic etiam alius ſpectari debet, cum praeſertim ab eo in monumentis illorum anni ſaepiſſime efferantur, ut inferius viſuri ſumus. Neque enim inter alios Imperatorum cardines, ex quibus eorum anni deducuntur, illum Caeſareae dignitatis eſſe adnumerandum cenſemus, cum praeter alias cauſ-

ſas

(1) His addendus eſſet juxta Dodvvellum in Append. ad Diſſert. Cypr. num 48. etiam Hadrianus, cui Auctor ille duplex initium, ſeu natalem imperii diem, aſſignat; alium die XI Auguſti an. Chr. 117. cum nuncium de morte Traiani is accepit, alium die IX. Auguſti anni praecedentis 116. quo a Traiano eumdem fuiſſe adoptatum contendit; atque ab hoc ſecundo natali, annos ipſius Hadriani a Ptolemaeo fuiſſe numeratos docet. Sed iamdiu viris eruditis obſervatum, ſecundum hoc Hadriani exordium prorſus commentitium eſſe.

ſas (1) numquam ferme ab ea dignitate in ſcriptoribus & monumentis Auguſtorum tempora deſignantur. Tota igitur varietas, quae in exordiendis exponendiſque Imperatorum annis apud Hiſtoricos quandoque offenditur, circa nonnullos Auguſtos potiſſimum verſatur, quibus imperium delatum fuit vel a Praetorianis, vel ab exercitu & legionibus. In iis enim varia veluti imperii initia, proindeque multiplex primus natalis imperii dies conſiderari poteſt; vel cum nempe primum a militibus acclamati fuerunt Auguſti, vel cum habita pugna, relataque de alio imperium invadente victoria, in eo ſunt confirmati, vel cum a Senatu totoque Romano orbe tamquam legitimi Auguſti ſalutati ſunt. His igitur de cauſſis, aliiſque ſimillimis pro cuiuſque ſcriptoris arbitrio, aut partium ſtudio ab uno potius, quam ab alio cardine Auguſtorum aetas numerata. Atque utinam ſaltem Auctores initium illud, a quo Principum annos iis repetere libuit, clare quidem & ſemper protuliſſent. Diremptae profecto eſſent nonnullae Chronologorum controverſiae, hac de cauſſa ſuſcitatae. Id certe nonnulli aliquando praeſtiterunt, ut Dio (2) cum de Elagabalo tradit; *regnavit annos tres, menſes novem, & dies quatuor, quod tempus ego numero, ex quo praelio facto*, cum Macrino, *omnem potentiam adeptus eſt*. Id autem non alia de cauſſa Dio expreſſiſſe videtur, quam quod initium imperii Elagabali computari etiam poterat a die 16. Maii an. Ch. 218. qua acclamatus is fuerat Imperator. Ceterum raro ſcriptores cardinem illum adeo aperte memorant, quod in cauſſa potiſſimum eſt, cur ſaepe in Imperatorum illorum annis efferendis inter ſe pugnare videantur. Sic Svetonius de Galba ait; *periit imperii menſe ſeptimo*, quod Tacitus, Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus ceterique confirmant. At Xiphilinus, Zonaras de eodem ſcribunt: *regnavit menſes novem, dies tredecim*, quia nempe annos Galbae enumerant a tempore, quo Imperator in Hiſpania dictus eſt, vivente adhuc Nerone, cum ſuperiores Hiſtorici illos a Neronis interitu exordiantur. Eadem ratione, quamvis certum ſit Iulianum, annum tantum & menſes octo inchoatos poſt Conſtantium imperaſſe, Socrates tamen ſcribit Auguſtum illum tertio imperii anno ſublatum fuiſſe, quod nempe initium eius repetit a tempore, quo in Gallis vivente adhuc

(1) Vide quae cap. 5. ſecundae partis de hac dignitate in monumentis expreſſa, differuntur. (2) Lib 79.

huc Conſtantio a militibus Imperator Auguſtus dictus eſt; quibus alia non pauca addi poſſent exempla ad varia ſcriptorum loca probe aſſequenda maxime accommodata, niſi rem hanc aliquantulum retractare, ac tamquam relegere modo deberemus, cum de Tribunitia Poteſtate in Auguſtorum annis numerandis adhibita, ſumus verba facturi. Itaque ab hoc honoratiſſimae dignitatis faſtigio Imperatorum aetas paſſim in monumentis deſignatur. Atque hic quidem cardo, ſive Epocha adeo prae ceteris celeberrima eſt, ut illius praeſidium omnium tutius atque utilius in re Chronologica habitum ſemper fuerit. Quare mirari non ſubeat, ſi ad illud tamquam ad lydium lapidem, quoties diſcrepant ſcriptores, ubique provocent Chronologi [1]. Atque optandum maxime, ut ait Vaillantius [2], ut *nummi omnes Tribunitiam Poteſtatem uniuſcuiuſque Imperatoris exhiberent*. Sed multa prius obſervare, mentique mandare debet, qui illius poteſtatis ope Principum annos certo eruere certoque ſtatuere contendit. Quare haec in praeſens proſequemur, cetera, quae eam dignitatem ſpectant, inferius ubi de Imperatorum titulis ſermo erit, tradituri. Ac primo quamvis non una ſit Eruditorum opinio de tempore, menſe, die, quibus Tribunitia Poteſtas Imperatoribus, vel deſignatis imperii haeredibus conferri conſueverat, ſatius tamen erit, atque conſilio huic noſtro magis idoneum affirmare, Panvinii [3], & Noriſii [4] ſententiam, quae ſcriptorum, omniumque Antiquitatis monimentorum teſtimoniis fulcitur, ceteris omnibus eſſe anteferendam; ac proinde pro certo veluti canone ſtatuimus Tribunitiam Poteſtatem ipſo initi imperii die ſemper ab Auguſtis ſuſceptam, eoque recurrente dein reſtauratam quotannis fuiſſe. Id autem minime de omnibus Imperatoribus ſine ullo diſcrimine intelligi debet, cum nonnulli fuerint, qui Tribunitia Poteſtate, ſimulque Imperio Proconſulari, ut nuper vidimus, antequam Auguſti ſalutarentur, muniti fuerint, quibus proinde in monimentis plures Tribunitiae Poteſtatis anni, quam imperii Auguſtei, tribuuntur. Hac certe ratione in Tiberii inſcriptionibus anni

(1) Hac enim ratione Capitolinus in vita Marci, Victor in Epitome, Caſſiodorus, Eutropius Lib. 8. erraſse dicuntur a Criticis, dum annos undecim L. Vero aſſignant, cum annos tantum novem imperaverit, ut ſcribit Auctor Chronici Alexandrini, & liquet ex nummis, qui ultra Tribunitiam Poteſtatem IX. non progrediuntur. (2) De Numiſm. Colon. (3) Com. ad L. II. Faſt. pag. 180. (4) Cenotaph. Piſ. pag. 360.

anni TRIB. POT. XXXIIX. Titi TR. P. X. Antonini Pii TR. P. XXIV. M. Antonini TR. P. XXXIV. conſignati leguntur, cum Tiberii imperii Auguſtei anni 23. Titi 2. Pii 23. M. Antonini 19. tantummodo enumerentur. Ab hac tamen lege eximendus Auguſtus, in cuius nummis occurrunt ſolum XXXVIII. anni Tribunitiae Poteſtatis, cum 44. annis imperaverit, ſi imperii cardo, ut plerumque fit, ab anno Actiacae victoriae, nempe V. C. 723. deſumatur. Itaque ut omnis abſit errori locus, diligens Antiquitatis inveſtigator, Tribunitiae Poteſtatis exordium bene perſpectum habeat oportet, ut illius praeſidio in Imperatorum annis definiendis tuto uti valeat. Sed quid ſentiendum, quoties in illas inſcriptiones incidamus, quae TRIB. POT. & frequentius T. P. exhibent omni prorſus numero deſtitutas? Huius certe generis ſunt plerique Traiani nummi, ſi Goltianos, aliosque paucos excipias, atque Hadriani aliorumque non pauci. An dicendum per eam tali modo expreſſam, primum Tribunitiae Poteſtatis annum efferri? Id quandoque verum eſſe poteſt, ſemper vero minime. Nam primus Tribunitiae Poteſtatis annus ſine numero quidem in monimentis effertur, ſed aeque etiam conſtat alios Tribunitiae Poteſtatis annos eodem modo deſignari conſueviſſe, ut ex memoratis Traiani, & Hadriani, aliorumque nummis evincitur. Neque me latet Vignolium (1) ad dignoſcendum quando nam TRIB. POT. non numerata pro prima habenda ſit, quando vero minime habenda, regulam hanc tradidiſſe; quod *prima tum utique reputanda eſt, cum vel Conſulatus, vel imperii numerus, vel aliquod aliud forte non adſit, quod aliquo pacto ei repugnet. Contra vero ſi cum numero eodem Conſulatus & imperii, vel cum alio certi temporis indicio iungatur, tum referenda eſt ad annum illum, cui primo ea ipſa indicia competunt*. Sed quam frequenter contigit ut TRIB. P. ſine numero prolata, nullum habeat & Conſulatus, & Imperii, aliumve characterem adiectum, quo veluti indice annus ille exploretur? Quare ſaepe etiam eveniet, ut a nemine definite affirmari poſſit, eam vel primam, vel ſecundam, vel tertiam eſſe, cum vel prima, vel ſecunda, vel tertia eſſe poſſit. Hinc raro, nec ſine eximia diligentia canon ille adhibendus. At reiicienda prorſus illorum ſententia, qui Tribunitiam Poteſtatem aliquando in Imperatorum nummis abſque numero ideo ſignari arbitrantur, quod Imperatores illi cum

(1) De Anno primo Imperii Sev. Alex. pag. 41.

cum a Senatu diſſentirent, neque ei eamdem dignitatem referre vellent acceptam, eam ſibi veluti illorum propriam arrogabant, atque in eorum monumentis ſine numero efferri mandabant. Quis niſi Iudaeus Apella in animum ſibi inducet, ita cum Senatu Traianum, atque Hadrianum, optimos Principes illique egregie caros, ſe geſſiſſe, quorum nummi Tribunitiae Poteſtatis numero ſaepiſſime carent, aliter vero Neronem, Caligulam, Commodum, in quorum monumentis numerus ille plerumque indicatur? Sed longe gravius negotium eruditis etiam viris, & in tota ferme antiquitate exercitatiſſimis faceſſere ſolent inſcriptiones illae nonnullorum Imperatorum; in quibus ii Tribunitiae Poteſtatis, ſeu Imperii, anni Auguſtis illis tribuuntur, quos minime attigiſſe ex aliis monumentis & ſcriptorum teſtimoniis eruitur. Verum ut hac in re perobſcura, quid ſentiam proferam, ego ſic exiſtimo; inſcriptiones illas ad duo veluti genera referri oportere, ut nonnullae cum aliis Antiquitatis teſtimoniis facili negotio conciliari poſſint, vel illis merito anteponi; aliae vero adeo implexae, ut nondum illarum explicatio ſatis affulxerit. Prioris generis eſſe cenſeo Aegyptios Carini nummos cum L. Γ. *anno tertio*, qui non a tempore, quo Auguſtus, ſed quo Imperator a patre Caro renunciatus eſt, debet numerari; imo & illos Maximini apud Mediobarbum (1), & Patinum (2), in quibus TR. P. IIII. & L. Δ. *anno quarto* legitur. Quamvis enim nonnulli contendant Maximinum quartum Imperii annum minime inchoaſſe, quod Victor in Epitome, Euſebius tam in Chronico, quam in Hiſtoria, Oroſius, S. Epiphanius Maximino tres annos aſſignent, lis tamen dirempta eſt, ſi animadvertamus ſcriptores illos numero rotundo, ut plerumque conſueverunt, locutos fuiſſe. Cum enim nummi illi maxime probati ſint, maiorem quam laudati ſcriptores ſibi vindicant fidem, praeſertim cum Eutropius (3) ſcripſerit: *Maximinus imperavit triennio, & paucis diebus*. Eadem ſane ratione conciliantur cum utroque Victore, Euſebio, aliiſque, Gordiani III. nummi apud Mediobarbum, & Occonem, qui TR. P. VII. illi adſignant, quamquam memorati ſcriptores Gordianum per ſex annos imperium adminiſtraſſe aſſeverent, niſi cum Muratorio (4) exiſtimare malimus, nummos illos cudi potuiſſe, antequam in Europa mortis illius

M rumor

(1) Numm. Impp pag. 319 (2) In Theſ. Mauroc. pag. 134. (3) De Geſt. Rom. Lib. 9. (4) Annal. d' Ital. an. 244.

rumor vulgaretur. Huc etiam referenda eſt Decii incſriptio apud Gruterum (1), aliaeque in eius nummis, quibus Decium TRIB. POT. III. ſeu tertium imperii annum exorſum eſſe oſtenditur; ideoque Euſebius & Caſſiodorus, quos ſequitur Baronius (2), aliique, qui Decio annum unum, & menſes tres adiudicant, merito hallucinari dicuntur. Non ita vero facile inferri poteſt Balbinum, & Pupienum ſecundum imperii annum delibaſſe, licet Mediobarbus Balbini nummum cum TR. POT. II. obiiciat. Quamvis enim legitimus nummus ille habeatur, numerales tamen notae temere apud Mediobarbum irrepſere (3). Fallitur etiam Patinus (4), qui dum maximum Pupieni nummum Tharſo cuſum recitat, in cuius inferiori parte legitur Γ. B. duas haſce numerales litteras ſecundum imperii annum Balbini & Pupieni deſignare exiſtimat; quod etiam ex altero ſimili nummo apud Triſtanum (5), iiſdem prorſus litteris exornato, aliquis deduci poſſe facile credet. Sed perperam: Hoſtenius (6) enim varios huius urbis nummos ſub variis Imperatoribus cuſos affert, in quibus hae duae litterae Γ. B. etiam leguntur; ex quo manifeſtum fit per eas non ſecundum illorum Imperatorum annum, ſed aliud prorſus indicari. Alterius vero generis inſcriptiones, quae Chronologos miſerrime hucuſque torſerunt, eo quod plures anni in iis ſignantur, quam ferret ſuſcepti ab iis Principibus imperii ratio, ſunt Nervae inſcriptiones in quibuſdam eius Graecis, Latiniſque nummis cum TR. P. III. & ΔH. EΞ. Γ. Galbae cum L. B. *anno ſecundo*: Hadriani cum L. KB. *anno* XXII. Otaciliae cum L. Z. *anno* VII. nempe Philippi Auguſti eius coniugis: Voluſiani cum TR P. IIII. Elagabali cum TRIB. Pot. V. & in Graecis cum L. E. *anno quinto*; qui numerus etiam in nummis Fauſtinae, & Aquiliae Severae occurrit. Severi cum TRIB. POT. XIX. Hos certe imperii annos, ut ex indubiis Hiſtoriae monimentis eruitur, Auguſti, Auguſtaeque illae minime attigerunt. Ne tamen Adoleſcentes, quos inſtituendos ſuſcepimus in his Chronologiae veluti anfractibus, ſcopuliſque deſerere videamur, quae ſapientiſſimi viri ad ea explicanda potulerunt, perſtringemus, quaeque vel reiicienda ſunt, vel ferenda, donec nova vetuſtatis monimenta emergant, ex quibus lux maior

(1) Pag. 273. (2) Ad an. Chr. 253. num. 48. (3) Vide Pag. Crit. Bar. ad an. 238. num. 7. (4) Theſ. Maur. pag. 83. (5) Tom. II. pag. 497. (6) In notis ad Stephan. de Vrbib. in voce ΤΑΡΣΟΣ.

ior accedat, notabimus. Ac primum minime probari poteſt ſententia Toinardi (1) in memoratis nummorum difficultatibus enodandis. Is enim e tantis involucris feliciter ſe ſe explicare credit, dum ſtatuit Imperatores Tribunitiam Poteſtatem, die IV. Idus Decembris, qua die olim eam inibant Tribuni Plebis, ſuſcepiſſe, & menſes, qui a die ſuſcepti imperii ad IV. idus Decembris fluxerant, pro anno computaſſe; eodemque die annum ſecundum, ſeu Tribunitiam Poteſtatem II. inchoaſſe, & ſic deinceps. Hac ille ratione Galbae nummos cum TR. POT. II. Nervae cum TRIB. P. III. Elagabali cum TR. P. V. explicat, & Traiani numiſma, in quo Conſulatus eius V. deſignatus cum VII. illius Tribunitia Poteſtate coniungitur; eodemque modo de aliis nummis, quos germanos eſſe conſtat, ingenioſe & erudite magis, quam vere diſſerit. Haec tamen Toinardi opinio cum innumeris refellatur teſtimoniis, ex quibus apertiſſimum ſit Tribunitiam Poteſtatem IV. Idus Decembris ab Imperatoribus minime coeptam, merito ab Eruditis reſpuitur. Neque plurimi etiam facienda illorum opinio, qui hos nummorum veluti ſcopulos tuto enavigare credunt, duplex Tribunitiae Poteſtatis initium admittendo, ut de Commodo, & Caracalla apud Pagium (2). Non ita facile pronunciare auſerim de altera celebri ſententia, quae tot clariſſimos viros nacta eſt, quaeque propugnat Aegyptios, & praeſertim Alexandrinos, uti annum ſuum civilem a neomenia Thoth fixi, ſeu die 29. Auguſti ordiebantur, ita conſueviſſe annos Imperatorum non a die natali eorum imperii, ſed a neomenia Thoth, ſeu 29. die Auguſti numerare. Atque tali quidem pacto, nimirum, ut ſi quis ante eam diem ſalutatus fuiſſet Imperator, nummi ei cuſi fuiſſent cum anno primo uſque ad dictam diem 29. Auguſti; exinde vero cum anno ſecundo &c. Idem factitatum a Graecis, & Syro Graecis exiſtimant, qui ut ab autumno anni initium auſpicabantur, ita Principum annos ab eo cardine enumeraſſe arbitrantur. Addunt id maxime confirmari Ptolemaei exemplo, qui tam Regum Graecorum poſt mortem Alexandri, quam Romanorum Imperatorum annos in ſuo Canone ab antecedente Thoth deducit, & ab Hebraeis, qui pariter Regum ſuorum annos a prima die Niſan per anticipationem exordiebantur; quin ab ipſo Herodiano, qui a Kal. Ianua-

(1) Apud Pag. in Crit. Bar. ad an. 103. nu. 5. & 6. (2) Ad an. 175. nu. 5. & ad an. 198. num. 7. & 9. & ad an. 203. num. 4.

nuariis Auguſtorum imperii initia conſtanter repetit. Porro licet haec opinio nonnullis (1) arriſerit, nulla tamen probabili coniectura, ne dum ſatis firma ratione, fulcitur. Quid enim refert Aegyptios annum ſuum a Neomenia Thoth fixi exorſos fuiſſe? Etiam Romani a Kal. Ianuariis annum auſpicabantur, ſed Imperatorum annos, ſeu Tribunitiam Poteſtatem a die initi ab iis imperii computarunt; alius eſt enim annus popularis, alius Auguſtorum annus in Imperio. Syro-Graeci pariter quamvis tum civiles, tum ſuarum Epocharum annos ab autumno deducerent, Imperatorum tamen aetatem a die initi imperii repetebant, ut de Antiochenis, & Seleucienſibus nummi facile evincunt (2). Verum quidem eſt Ptolemaeum annos Regum & Imperatorum non a vero die eorum natali, ſed a Thoth, vago poſtea pro uſu civili diei 29. Auguſti alligato, numeraſſe. Quid inde? Hac enim ratione eo in Canone anni ita deſcripti ſunt, ut obſervat Dodvellus (3), quia cum idem Canon pro uſibus aſtronomicis concinnatus eſſet, opus erat ut anni omnes ab uno eodemque exordio accuratiſſime fluerent, atque ita numerandi ratio certa & conſtans ubique foret. Herodianus vero in Hiſtoriis conſcribendis non more populari, ſed per annos Iulianos & quidem plenos iuxta methodi ſuae rationem, ut infra dicemus, tempus ipſorum Imperatorum computavit. Qualis autem Hebraeorum in Regum ſuorum annis ſupputandis, vetus mos fuerit, hic non moramur, cum hac in re, ſola Romanorum, aliorumque Graecorum vulgaris conſuetudo ſpectanda ſit. Ceterum ſatis mirari non poſſum, quomodo haec opinio, quae ad graviſſimas nummorum ambages ſolvendas apprime accomodata cenſebatur, principes Antiquitatis ſcriptores aut fugerit, aut ab iis ſaltem neglecta fuerit. Noriſius (4), ut Spanhemium, Patinum, Morellium, Toinardum ſileam, agens de nota L. qua Aegyptii, aliique annos in nummis

(1) Hanc ſententiam laudat Pagius ad an. 69. num. 3. eaque Galbae nummos cum L. B. *anno ſecundo*, & Hadriani cum L. KB. *anno* 22. explicat. Item Philippus a Turre Adriae Epiſcopus in Diſſert. de annis M. Aur. Ant. Elag. cap. 3. Vignolius in Diſſert. II. Apolog. de anno primo Imperii Sev. Alex. Aug. cap. XI. & huius opinionis praeſidio explicat nummos L. Veri cum L. ΔΕΚΑΤΟΥ *anno decimo*, & Otaciliae Philippi Auguſti Vxoris cum L. Z. *anno ſeptimo*; & Elagabali, & Fauſtinae, & Aquiliae eius uxorum cum L. E. *anno quinto*. (2) Vide Noriſ. de Epoch Syro-Mac. Diſſert. 3. cap 7. pag. 215 & in Epoch. adden. pag. 489 (3) In Append. ad Diſſert. Cypr. num. 34. & ſequen. (4) De Epoch. Syco-Mac. Diſſert. 4. cap. 1. pag. 307.

mis exprimere ſolebant, nil prorſus de ea re habet, imo loquens (1) de nummo Hadriani in cuius poſtica parte legitur: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΚΒ. ubi Patinus interpetratur; *Providentia anno* 22. imperii Hadriani, ſcribit; *nummum hunc procul a Baiis in Italia, ubi Hadrianus deceſſit, cudi potuiſſe in Cylicia, vel in Syria, nondum ibidem obitu Imperatoris intellecto, ut paucis poſt diebus, ineunte anno 22. imperii, eiuſdem publicaretur*. Tillemontius etiam quamvis eamdem ſententiam non ignoraret, illam tamen numquam probavit, ut videre eſt praeſertim in Hadriano (2). Quin ipſe Pagius licet hanc doctrinam adoptavit, poſtea non uno in loco eam abdicavit (3), praeſertim vero ubi de nummis Hadriani cum L. ΚΒ. *anno* 22. diſſerens, aſſerere non dubitavit: *Haec mea de huiuſmodi nummis coniectura: omnes nummi Latini in quibus anni Tribunitiae Poteſtatis annos imperii excedunt, aut mendoſe deſcripti, aut a monetariis in iis cudendis erratum, aut anni unius Imperatoris alteri attributi, ut de Gallo & Voluſiano loquens oſtendi. Quo ad nummos Graecos, in quibus plures imperii anni leguntur, quam reapſe Auguſti regnaverint, vel idem dicendum ac de Latinis, in quibus anni Tribunitiae Poteſtatis annos imperii ſuperant, vel exiſtimandum annos illos non ad imperium, ſed ad aliquod aliud nobis incognitum referri*. Hactenus Pagius: cui certe non aegre concedi poterit, nonnumquam Monetariorum vitio in nummis ſignandis fuiſſe peccatum, nonnumquam etiam fieri potuiſſe ut plures Tribunitiae Poteſtatis anni aliquibus Imperatoribus tribuantur, quod numiſmata illa ſignata fuerint in iis regionibus, quo nondum extincti Imperatoris fama pervaderat. Hoc autem potiſſimum locum habet, ſi Principis mors ſupervenerit, cum proxime Auguſtus ille alterum imperii annum attigiſſet. Ita Noriſius Hadriani nummum ſuperius a nobis memoratum feliciter explicat. Sed haec incerta quandoque, & non raro etiam falſa. Illud plerumque in cauſſa eſſe exiſtimo, cur in nonnullorum Imperatorum nummis implicatiſſimi nodi illi Chronologiae inveniantur, quod primus vel poſtremus illorum Tribunitiae Poteſtatis annus vel menſis, vel dies non ſatis perſpectus habeatur. Huc certe referri debet tota difficultas de nummis Elagabali, eiuſque uxorum cum *an-*

no 5.

(1) Loc. cit. pag. 300. (2) Art. II & Not. 9. (3) Ad an. 131. num. 2. & ad an. 134. num. 4.

no 5. de quibus ſuperioribus annis acriter inter Valſechium [1], Vignolium [2], Philippum a Turre [3] diſceptatum fuit. In iis certe ſimiliſve generis nummorum difficultatibus, ubi Cimmeriis pene tenebris undequaque obruimur, ſatius eſſe duco difficultatem aliis praemonſtrare, atque a monumentis e tenebris educendis uberiorem lucem expectare. Haec olim Noriſii [4] ſententia fuerat, cum de Severi & Caracallae Tribunitia Poteſtate diſſereret, & quod vir ille ſapientiſſimus in votis habuit, bono fato hac noſtra aetate accidit, & Noriſii vota cumulatiſſime ſolvit. Nam non multis ab hinc annis eximium monumentum [5] Romae effoſſum fuit, quod dedicatum dicitur KAL. APRIL. SEVERO ET VICTORINO COS. nempe anno 200. In ea memoratur Severus cum TR. POT. VIII. & Antoninus Caracalla cum TR. POT. III. Huius marmoris ope evidentiſſime patet Severum primam Tribunitiam Poteſtatem iniiſse ante Kal. Apriles anni 193. & Caracallam ante Kal. eiuſdem menſis an. 198. de quorum primae Tribunitiae Poteſtatis exordio iamdiu Panvinius, Baronius, Noriſius, & Pagius diſputaverant, ſed nemo illud perfecte divinaverat. Vlterius nova hac inſcriptionis luce optime explicantur Severi nummi cum TR. POT. XIX. quam certe inchoavit, cum quarta Februarii die obierit anni 211. quemadmodum illuſtrantur & conciliantur aliae Severi inſcriptiones, quae Romae habentur in fronte Panthei, in Foro Piſcium, & in arcu ipſius Severi, in quibus Tribunitia Poteſtas Severi XI. cum Trib. Poteſtate VI. Antonini occurrunt; & alia apud Gruterum [6], in qua Severus dicitur TRIB. POT. XI. Antoninus V. Finem faciam de Tribunitia Poteſtate Imperatorum lapidibus nummiſque conſignata, perrarum Aurelii Caeſaris nummum proferendo, cuius non obvia ſane inſcriptio negotium Adoleſcentibus faceſsere poſset. Nummus itaque eſt Aurelii Caeſaris, vivo adhuc Antonino Pio, ac proinde antequam foret Auguſtus, ſignatus, in cuius

(1) In Diſſert. de M. Aur. Ant. Elag. Trib. Pot. V. & in altera de Init. Imperii Sev. Alex. (2) In Diſſert. de anno primo Imp. Sev. Alex. Et in Diſſert. II. Apol. de anno primo Imp. Sev. Alex. (3) In Diſſert. de Annis Imperii M. Aur. Ant. Elag. & in Italica Epiſtola de nummo Anniae Fauſt. Ven. Ephem. Tom. 4. pag. 360. inſerta. (4) In Diſſert. de Votis Decenn. cap. 4. pag. 90. (5) Anno 1731. Ara votiva ad Lateranum eruta fuit, cuius inſcriptionem erudito Commentario Italice exarato illuſtravit Vir Cl. Rudolphinus Venuti. Prodit Romae anno 1733. Eamdem inſcriptionem etiam Muratorius recitat Theſ. Nov. Inſcript. pag. 347. (6) Pag. 191.

cuius averſa parte legitur : TR. POT. VII. TR. POT. VIII. Inſcriptionem hanc Harduinus (1) & Spanhemius (2) expenderunt, ſed Spanhemio aſsentiendum, qui Tribunitiam Poteſtatem intra annum Iulianum ab Aurelio Caeſare iteratam per hunc nummum deſignari arbitratur. Sicut enim Tribunitia Poteſtate ipſo imperii die ſe ſe muniebant Augusti, factum inde ut eodem anno Iuliano eiuſdem dignitatis anni augeri potuerint, cuius rei teſtes ſunt etiam Domitiani & Commodi nummi, in quibus Tribunitia Poteſtas ſub eodem illorum conſulatu iterata legitur. Quare ſignatus eſt hic nummus circa tempus initae denuo eodem anno Iuliano illius Poteſtatis octavae, qua idem Aurelius die 27. aut biduo ante iuxta alios, donatus dicitur. Sed vix tot nummorum difficultates ab inſcripta in ipſis Tribunitia Poteſtate profectas, ſumus tandem praetergreſſi, quod ſtatim aliae & ſane non leves ſe ſe nobis offerunt, quas muneris noſtri religio iubet ſaltem delibare, quod ſine illarum cognitione plurium Graecorum numiſmatum Chronologiam aſsequi minime poſsumus. Sunt enim peritiſsimi ſcriptores, qui exiſtimant nonnullas Orientis urbes ad Imperatorum benevolentiam ſibi conciliandam peculiares quaſdam Epochas excogitaſse, eaſque in pleriſque nummis in Caeſaris alicuius honorem ſignatis expreſsiſse. In hiſce Epochis iuxta illorum opinionem ita conſtanter imperii anni numerantur, ut illorum initium ab anno vel tempore deducatur, non quo Caeſar vel Imperator aliquis regnare coepit, ſed quo imperium in eius gentem ſive familiam translatum fuit, ut illo proinde annorum numero, qui in nummis exprimitur, non Caeſaris ipſius, ſed familiae potius imperantis Epocha deſignetur. Huiuſmodi ſunt familiae Iulii Caeſaris, Auguſti, Claudi, Flavi Veſpaſiani, Marci Aurelii, a quibus per plures ſucceſsores imperium adminiſtratum fuit. Tali ope plurimae in nummis inſcriptae Epochae facile explicari poſse confidunt. Veruntamen cum & alii percelebres viri non deſint, qui haſce Epochas non adhuc ſatis liquido demonſtratas fuiſse contendant, ut diligens Antiquitatis inveſtigator ſciat quo in pretio haberi debeat haec opinio, iuverit nummorum inſcriptiones, quibus illa innititur, hic ſubiicere; deinde vero utrum ſine hac novarum Epocharum acceſsione ſe-

(1) Select. Opp. pag. 753. & 783. (2) De Praeſt. & Vſu Num. Diſſert. 12. pag. 430.

ſelicius explicentur, intueri. Vaillantius (1) itaque, & Patinus (2) Graecos nummos proferunt in quorum antica parte eſt effigies Polemonis, in poſteriori vero Neronis cum ΕΤΟΥΣ ΙΗ. *anno* 18. in alio ΕΤΟΥΣ ΚΓ. *anno* 23. in altero ΕΤΟΥΣ ΚΔ. *anno* 24. Cum ergo annorum numerus in ea nummi parte inſculptus ſit, quae Neronis effigiem exhibet, ad eum annos illos referunt. Sed cum Imperator ille 14. ſolum annis imperaverit, conſequens eſse credunt, quod anni illi initio ducto a Claudio Caeſare, qui imperium in Claudiam Gentem invexit, numerari debeant. Rectius tamen alii, nec ſine graviſſimis ſcriptorum teſtimoniis, diverſos annos illos repetunt a tempore, quo Polemon II. Ponti regnum eſt aſſecutus, ut olim Vaillantius monuit, deinde vero alii egregie oſtenderunt. Qua de re inito calculo, demonſtratur decimum octavum annum Polemonis cum ſecundo Neronis, vigeſimum tertium cum ſeptimo, & vigeſimum quartum cum octavo concurrere (3). Neque refert numerales notas cum Neronis capite conſociari, cum multa ſane ſint numiſmatum exempla; in quibus Imperatoris caput, in ea parte invenitur, ubi Epochae inſcriptae ſunt (4). Neque felicius Flaviorum Epocha e nummis eruitur, cuius initium ab anno primo imperii Flavi Veſpaſiani nonnulli auſpicantur. Siquidem Titi nummus in quo legitur: L. IB. ΦΛΑ. *anno* 12. *Flaviorum*; itemque alter Domitiani in quo legendum exiſtimant: L. IΔ. *anno* 14. *Flaviorum*; tanti non ſunt ut novam hanc Epocham nos cogant admittere. Poſtremus enim hic nummus, ut peritiſsimi viri accuratius inſpicientes deprehenderunt, non Domitiano, ſed Neroni eſt adſcribendus. Nec ſane validius altero nummo haec Flaviorum Epocha propugnari poteſt, cum praeter graviſsimas difficultates, quibus urgetur, illud etiam habeat incommodi, quod Titi nummi inſcriptio merito vitiata videri poſſit (5). Aeque infirma ſunt etiam momenta illa, quibus Harduinus (6) huiuſmodi Epocharum propugnator acerrimus, gentis Aureliae Epocham in medium proferre ſatagit. Iamdiu haerent eruditiſſimi viri ad

va-

(1) Hiſt. Reg. Pont. pag. 243. & 244. (2) Not. in Svet. pag. 298. quo tamen loco fallitur Patinus, dum Neronis effigiem, Auguſti eſſe ſcribit. (3) Vide Diſſ. ſur les Med. de Pythodor. pag 17. ſuiv. (4) Huius generis nummorum Cathalogum texuit Haim. Theſ. Brit. Tom. II. pag 56. quibus tamen longe plures addi poſſent. (5) Vide Remarq. Hiſtor. & Critiq. alla Scien. des Med. Tom. II. pag. 229. (6) Select. Opp. pag. 537.

varios Commodi nummos, in Aegypto cuſos, in quibus numerales annorum litterae a 20. uſque ad 32. aſcendunt. Cumque Commodus duodecim annos, & novem menſes poſt Aurelii mortem imperaverit, vel quindecim cum dimidio, ſi a tempore quo a Patre Auguſtus dictus eſt, eius imperium exordiatur, illi certe huiuſmodi anni tribui non poſſunt. Haec cum animadvertiſſet Toinardus (1), Commodi aetatem per numeros illos deſignari cenſuit. Egregia ſane explicatio, ſi aliquod adeſſet exemplum, quo Principum aetatis annos nummis quandoque conſignatos fuiſſe oſtenderetur. Sed Harduinus numerales illas notas ad gentis Aureliae Epocham referendas eſſe putat, cuius exordium ſit annus 161. Aerae Chriſtianae, quo M. Aurelius imperium eſt aſſecutus, eiuſque coniecturae ſuffragari maxime credit, Aegyptios Fauſtinae matris Commodi nummos, in quibus anni 19. 20. 21. 22. occurrunt; his alii addunt L. Veri numiſma cum L. IΘ. *anno* 19. qui annorum numerus cum neque cum Principis huius, neque cum Commodi aetate conciliari poſſit, una cum Fauſtinae nummis hoc etiam L. Veri numiſma per gentis Aureliae Epocham explicandum eſſe opinantur. Ingenue hoc loco fateri oportet, hos Commodi Fauſtinaeque nummos, veluti Chronologiae aenigmata eſſe ſuſpiciendos, quorum ſolutio eſt adhuc in votis Eruditorum. Id unum, quod probabilitatem aliquam praeſefert, in re tam perobſcura affirmari poteſt, apud Aegyptios nimirum Antonini Pii tempeſtate varietatem aliquam invectam fuiſſe in Imperatorum annis enumerandis, atque proinde Aegypti urbes varias Epochas adhibuiſſe, quarum initium nos adhuc fugiat. Certe Antoninus Pius Largo & Meſſalino Conſulibus, nempe anno 147. plurima in Aegypti urbes beneficia contulit (2), quae illas fortaſſe moverunt, ut ab eo anno novam Epocham ſint auſpicatae, ad quam referri poſſint anni ſignati in nummis Fauſtinae, Antonini filiae, & L. Veri. Fieri etiam potuit, ut Aegyptii novam Epocham inſtituerint ab eo anno, quo primum duo ſimul Auguſti, nempe M. Aurelius & L. Verus, itemque ſimul Conſules extitere. Siquidem rei novitas in cauſſa fuit iuxta Spartianum, *ut Faſti Conſulares nonnulli, ab iis ſumerent ordinem Conſulum* (3); & eximia inſcriptio in Pannonia reperta, quae pro temporis caractere habet: IMP. AVGVSTIS COS. (4).

N oſten-

(1) In Differt. de Comm. Imp. aet. numm. inſcript. (2) Oroſ. Lib. 7. cap. 15.
(3) In Ael. Caeſ. (4) Oſſervaz. Lett. Tom. I. pag. 176.

oſtendit primum illud duorum Auguſtorum imperium pro Epochae exordio a nonnullis populis fuiſſe uſurpatum, quod Aegyptii facile adoptarunt, & in Commodi M. Aurelii filii nummis inſcripſerunt. Ita enim facile 32. Commodi annus explicari poſſet, cum a Conſulatu illorum Auguſtorum, uſque ad Commodi mortem pluſquam 31. anni interceſſerint. Haec aliaque huius generis ad memoratas Epochas infirmandas erudite congeſſit vir ſapientiſſimus (1), meliora monſtranti facile manum daturus. Vix autem de Epochis Caeſaris & Auguſti familiis immerito adſcriptis, ſermonem inferre iuverit. Siquidem exempla, quae vulgo afferuntur (2) nullius ſunt ponderis, quod ex nummis Antiochiae ad Ippum, Antiochiae ad Sarum, Antiochiae in Syria Imperatoribus cuſis petantur. Norunt enim omnes Aeras in iis nummis ſignatas adeo peculiares eſſe illarum urbium, ut nullo modo tempus, aut annum, quo Caeſar aliquis ad imperium evectus eſt, reſpiciant. Conſulatur initium earum Epocharum a nobis ſuperius conſtitutum (3), & cuique apertiſſimum fiet illud numquam cum anno, quo Imperator aliquis regnare coepit, concurrere potuiſſe. Ne aliquid indictum omittamus, quod ad Augùſtorum Epochas referendum ſit, poſtremo hoc loco monere etiam iuverit, quod Quinquennalia, & Decennalia, & id genus feſta, in quibus omni pomparum genere pro Imperatorum incolumitate vota publica concipiebantur, aut ſolvebantur, nova quaſi Imperii auſpicia, & nova quaedam Imperatorum Epocha fuere. Huiuſmodi Epocharum genus, ſeu haec vota publica, quae ineunte ſingulo quinquennio, aut decennio nuncupabantur, iiſdemque evolutis ſolvebantur, non ſolum in inferioris, ſed etiam in ſuperioris aevi nummis occurrunt tali modo: PRIMI DECENNALES, SECVNDI DECENNALES. aut VOT. V. VOT. X. VOT. XX. MVLT. XV. XX. nempe *vota quinquennalia, decennalia, vicennalia, multis quindecennalibus, vicennalibus*. Sed rem hanc pro inſtituti noſtri conſilio, ſatis eſt attigiſſe, cum de ea egregie, & uberrime pertractaverint, atque opportunos canones etiam tradiderint Dufreſnius (4), Noriſius (5), & Pagius (6). Verum ut ex iis omnibus, quae de variis Auguſtorum Epochis

(1) Vide Remarq. Hiſtor. & Critiq. alla Scien. des Med. Tom. II. pag. 296.
(2) Apud Iobert Scien. des Med Section Troiſ. §. VI. (3) Cap. 6. (4) In Diſſert. De Numiſm. Infer. Aevi. (5) In Diſſert. de Vot. Decenn. (6) In Diſſert. Hypat. cap. 2.

chis huc uſque congeſſimus, uberiorem capere valeant Adoleſcentes utilitatem, poſtremo hoc loco explanandi ſunt nonnulli mores, rationeſque, quas Hiſtorici in Auguſtorum annis in imperio indicandis ſaepiſſime adhibent, quod eſt alterum veluti caput, quod ſuperius ſtatuimus. Ac mirum certe eſt quam ſaepe a Criticis diſputatum fuit de Auguſtorum annis, a quibus diſputationibus ſe facile temperaſſent, ſi varios hoſce mores animadvertiſſent, cum iis perſpectis aſſecutiſque, multa ſint ſcriptorum loca, quae facili negotio conciliantur. Ac primo revocanda hic nonnulla forent, quae ſuperius de Tribunitiae Poteſtatis Epocha differentes ob materiae affinitatem ſatius eo loco pertractare duximus. Etenim monuimus eam apud nonnullos invaluiſſe ſententiam, quod Graeci, atque Aegyptii ſcriptores cum Auguſtorum annos in imperio proferunt, non a die natali eorum imperii eoſdem enumerant, ſed ab eo anni menſe, a quo civilis eorum annus proficiſcebatur. Sed quanti facienda ſit haec opinio opportunius eo loco patefecimus, cum a veritate longe alienam eam eſſe demonſtravimus. Verum quidem eſt Ptolemaeum tam in Canone Aegyptiaco, tam in libris magnae Conſtructionis, tum in ſuis & aliorum Aſtronomicis obſervationibus ibidem recenſendis, dum Regum & Imperatorum tempora eo loci conſignat, exordium ducere a primo die Thoth vagi in quamcumque anni Iuliani diem incidiſſet. Sic ut exemplum ſaltem unum adducam; dum refert (1) duas Menelai Geometrae obſervationes, alteram peractam *die Mechir* 15. *ſequente* 16. *exacta hora* 10. *anno Nabonaſſari* 845. ſcilicet die 10. Ianuarii an. Ch. 98. alteram *die* quidem *Mechir* 18. *ſequente* 19. *hora* 11. *deſinente*, *anno* item *Nabonaſſari* 845. hoc eſt die 13. Ianuarii eiuſdem an. Ch. 98. has habitas tradit *primo anno Traiani*, quamvis Traianus nondum tum Nervae ſucceſſiſſet, cum hic non obierit, niſi die 27. eiuſdem menſis Ianuarii an. Ch. 98. Cur vero Ptolemaeus hanc methodum in Imperatorum annis computandis ſervaverit, ſuperius expoſuimus. Verum itidem eſt, Herodianum a ceterorum ſcriptorum more in Imperatorum annis exprimendis, recedere. Siquidem ille tempus quod cuique Imperatorum aſſignat, computat per annos integros eoſque Iulianos, ut etiam ſuperius innuimus, ideoque eumdem annum Iulianum deceſſori, & ſucceſſori aliquando tribuit, cum reliqui ſcriptores a primo imperii die

(1) Lib. VII. cap. 3.

Auguſtorum annos enumerent. Sic Herodianus (1) ſcribit Commodum imperaſſe annos tredecim, cum revera annos duodecim, novem menſes & quatuor dies regnavit. Eadem ratione quatuordecim imperii annos adſcribit (2) Alexandro, cum per tredecim annos & aliquot dies illud tenuerit. Ceterum concedi etiam poteſt, quandoque nonnullos ſcriptores in Imperatorum annis numerandis ad annos Iulianos reſpexiſſe, ut de Tacito in annis Tiberii computandis contendit Politus (3). Alterum etiam numerandi morem circa menſium initia a ſcriptoribus uſurpatum in Auguſtorum annis exhibendis, deprehendiſſe credidit Pagius (4). Etenim veluti canonem tradit, peculiarem morem fuiſſe Romanorum ſcriptorum, ut *non a die quinta Septembris verbi gratia ad diem quintam Octobris, ſed a nonis Septembris, ad nonas Octobris numeraverint; quomodo ſi numeraveris a quinta die Septembris in quam nonae cadunt ad quintam diem octobris, menſem adhuc non colliges, ſed tantum ad diem ſeptimam cum qua nonae Octobris concurrunt. Qua numerandi ratione in Antiquorum ſcriptis, dum menſes & dies numerant, non obſervata, loca quae puriſſima ſunt, depravata ſaepe viri docti queruntur*. Verumtamen idem Cl. Auctor de Hadriani aetate diſputans (5), legem hanc Graecis etiam ſcriptoribus adhibitam Dionis exemplo aſſeverat. Illud vero certiſſimum eſt, quod ſcriptores dum praeter annos & menſes, quos in imperio traduxerunt Auguſti, etiam ad dies indicandos deſcendunt, varia ratione id ab illis efferri. Alii enim diem imperii natalem, alii diem emortualem excludunt, nonnulli vero utrumque enumerant. Sic Dio de Nervae obitu loquens, ait: *regnavit annum unum, menſes quatuor, dies novem* (6); ubi diem emortualem includit. Eutropius (7) vero tradit, Nervam regnaſſe *annum unum, menſes quatuor, dies octo*, quod diem natalem & emortualem excludit. Theophilus Antiochenus, aliique ſcribunt, eum imperaſſe annum unum, menſes quatuor, dieſque decem, atque ii utrumque diem enumerant, & extremum incompletum pro completo efferunt. Hac facili ſane obſervatione diluuntur exigua illa dierum diſcrimina, quae apud ſcriptores, de Auguſtorum aetate agentes, non raro offenduntur, & quibus inter ſe diſsidere perperam exiſtimantur. Sed quemadmodum mos eſt nonnullorum

(1) Lib. I. cap. ultim. (2) Lib. 7. cap. I. (3) In Comment. Martyr. ad diem 7. Ianuar. pag. 121. (4) Differt. Hypat. cap. 3. (5) Loc. cit. pag. 12. (6) Lib. 68. (7) Lib. 8.

rum Hiſtoricorum non ſolum annos, ſed menſes etiam & dies, quos imperarunt Auguſti, ſubiicere; ita etiam conſueſcunt alii, menſes & dies ipſos negligere, imperiique annos plane exhibere, & quidem incompletos pro completis numerare. Ita Antoninum Pium 23. annos regnaſſe tradit Aurelius Victor (1), aliique; tamen Xiphilinus, Zonaras, & Cedrenus 24. annos ei tribuunt, quod nempe utrumque extremum annum incompletum pro integro ponunt, quae numerandi ratio frequentiſſime ab Hiſtoricis uſurpatur. Huc enim referri debent phraſes illae ſcriptorum, quibus aliquem numerum uno vocabulo exprimunt, ut per *biennium*, per *triennium* imperavit. Siquidem non ita ſunt huiuſmodi formulae intelligendae, perinde ac ſi ille annorum numerus integre expletus foret, ſed tamquam inchoatus, vel decurrens haberi debet, ut exemplis quamplurimis oſtendi poſſet. Et ita forſan explicandus Capitolinus (2), quando tradit de Maximo, & Balbino, quod *biennio imperaverant*; ſi tamen ſecundum imperii annum Auguſti illi attigerunt, quod adhuc ſub iudice eſt, & niſi Capitolinus eo in loco annos tantum Iulianos, eoſque utrimque incompletos numeret, quod aeque incertum. Quin apud Graecos etiam ſcriptores perſimilis phraſis invenitur, quae recte animadverti debet, cum ab interpretibus quandoque aliter reddita fuerit. Ita Herodianus (3) cum ſcribit, Afros a Maximino rebellaſſe συμπληρωμένης αὐτῷ τριετοῦς βασιλείας, non ut Politianus vertit, haec verba reddenda ſunt, nempe *exacto imperii triennio*; ſed cum *compleretur*, hoc eſt, *decurreret triennale eius imperium*. Imo huiuſmodi formula, qua aliquid compleri dicitur, eſt a Graecis aliiſque uſurpata ad ſignificandum cum aliquid primum advenit, atque inchoatur: eximia huius rei exempla in ſacris litteris habentur (4). Poſtremo obſervari debet quod nonnulli ſcriptores inceptos annos omnino reticent, plenoſque numero rotundo tantummodo proferunt. Ita Victor in Epitome, Euſebius tam in Chronico, quam in Hiſtoria, Oroſius, S. Epiphanius, aliique, qui tres imperii annos Maximino adiudicant, numero rotundo loquuntur, cum quartum imperii annum ab eodem Auguſto inchoatum fuiſſe manifeſtiſsime e nummis evincatur. Et revera pleriſque veterum hic numerandi modus familiariſsimus fuit. Eadem quippe ratione, inquit Petavius (5); *Tacitus*

(1) In Epit. (2) In Gord. trib. (3) Lib. 7. cap. 4. (4) Act. Apoſt. cap. 2 v. 1. & apud Luc. cap. 2. v. 21. (5) De Doct. Temp. cap. 64.

citus prius aevum populi Romani ab urbe condita ad Actiacum praelium 720. *annorum facit*, cum revera fuerint 722. compleri. Quemadmodum vero Hiſtorici varias adhibent numerandi rationes, quas modo breviter complexi ſumus, in Auguſtorum annis exprimendis, ita etiam diſsimiles ſunt in eorumdem annorum initio auſpicando, ex quo alia proficiſcitur cauſsa, propter quam de eiuſdem Auguſti aetate in imperio diverſe ab iis erudiamur. Sed quae ad provinciam hanc ſpectabant, opportuniori loco in huiuſce capitis exordio explanavimus.

C A P V T X.

De ratione annorum ſupputandorum per Magiſtratuum nomina a Graecis uſurpata.

PRaeiverunt Romanis in annis per Magiſtratuum nomina deſignandis Graeciae populi, qui etiam ante Olympiades hanc numerandi rationem uſurpabant, ut proinde Euſebius de Olympiadum initio diſſerens (1), ita illud expreſſerit: *completo iam ſecundo, labenteque tertio anno Aeſchyli perpetuorum Archontum duodecimi, prima Olympias celebrata eſt.* Poſt vero Olympiades inſtitutas impenſius adhuc methodus illa adhiberi coepit, ut nihil uſitatius apud Graecos, quam rerum geſtarum ſeriem, & alia innumera hiſtoriae capita, ſolo Magiſtratuum nomine, qui apud ipſos ſummam imperii obtinebant, veluti certa nota, diſtinctoque charactere circumſcripta, indicare. Hinc factum ut huiuſmodi Magiſtratus *Eponymi* nuncuparentur, quod annis illis, quibus imperabant, ita nomen imponerent, ut cum aliis confundi minime poſſent. Ita Diodorus Platonem ſub Apollodoro natum fuiſſe dicit (2), eoque nomine veluti teſſera annum 3. Oly. 87. expreſſit, quod nimirum ex Magiſtratuum faſtis, qui publica auctoritate conficiebantur, quique omnium oculis obverſabantur, Athenienſibus perſpectiſſimum foret, Apollodorum illum non alio quam tertio 87. Oly. anno imperaſſe. Soranus quoque in Hippocratis vita teſtatur, ipſum Agriadae Archontis anno in lucem prodiiſſe, quod Coi per Archontis Eponymi nomen civiles annos deſignabant. Neque alio certe conſilio Thucydides foederibus, pa-

(1) Chr. Lib. I. pag. 36. (2) Lib. XII. c. 45.

cuiſque inter Graecos ſancitis, interdum Ephori nomen adiecit, niſi quod ſolemne Laconibus erat, ſolo Eponymi Ephori nomine annos indicare. Quemadmodum quandoque Argivae Iunonis Sacerdotes, earumque annum protulit, quia Sacerdotes illae ita penes Argivos tempora demonſtrabant, ut expreſſo ipſarum anno, Olympicus etiam liquido dignoſceretur. Id autem qua marmorum, qua ſcriptorum exemplis de omnibus ferme Graeciae populis oſtendi poſſet. Quid quod interdum Hiſtorici ſolo Olympionicae nomine, eius nempe, qui Olympiade illa victor extiterat, annos deſignarunt? Ita Pauſanias(1) cum ait: *hoc foedus fecerunt Athenienſes anno 3. Olympiadis, qua Criſon Himeraeus vicit ſtadio*. Et Thucydides (2): *erat Olympias, qua Dorieus Rhodius iterum vicit*. Quod nimirum ex Olympionicarum ſerie, ubique apud Graecos perſpecta, repente deprehendi poterat ab iis, primum Oly. 83. alterum vero Oly. 88. palmam retuliſſe. Verum & ſi pervulgatum ſane omnibus ferme Graeciae nationibus fuerit, Archontum, Ephororum, Prytanum, Sacerdotum, Olympionicarum, Scribarum nominibus annos inſignire; Athenienſium tamen Magiſtratus, ſive Attici Archontes ii potiſsimum ſunt, quos uſitatius Hiſtorici, & monumenta praeſeferunt. Quare ſuſcepto muneri ſatis me facturum duco, ſi de ratione annorum ſupputandorum per Magiſtratuum nomina a Graecis uſurpata locuturus, Athenienſium Archontes tantummodo proſequar, ceteros vero Graecorum Magiſtratus, per quos anni quandoque numerantur, ſuperius delibaſſe ſufficiat. Quod ut penitus proſpiciant aſſequanturque ſeduli Adoleſcentes, iuverit altius hic rem attingere, vetereſque Athenarum imperii formas breviter recenſere. Itaque Reges Athenis primum imperarunt, quorum primus fuit Cecrops quem haereditario iure ſexdecim alii deinceps ſunt conſecuti. Mitius deinde nomen Codri regum ultimi ſucceſſoribus impoſitum fuit, nam Archontes, ſeu patriae principes vocati ſunt. Tresdecim ii numero fuerunt, eamque dignitatem veluti haereditariam quiſque perpetuo obtinuit, unde Archontes *perpetui* ſunt nuncupati. Sed cum aſperior ſubinde principatus ille populo videretur, poſt Alcmaeonem perpetuorum Archontum poſtremum, ita adminiſtrari oportuit imperium, ut inſequentes Archontes, qui ſeptem fuerunt, decennio ſolummodo quiſque imperaret, & *Decennales* dicerentur. Ve-

(1) Eliac. I. c. 23. (2) Lib. III. c. 8.

Verum cum liberioris adhuc regiminis cupiditas Athenienſes inceſſiſſet, ſublata quoque decennalis principatus forma, Archontes annui ſunt inſtituti, qui quotannis ex ſpectatiſſimis primum, ditioribuſque, mox vero ex civibus omnibus eligebantur. Tempus vero, quod a Cecrope regum primo, ſive ab Aera Attica, ad Creontem uſque annuorum Archontum primum interceſſit, iuxta Euſebium (1) 873. iuxta Oxonienſe, vel Arundellianum marmor 898. iuxta denique *Excerptorum Latino-Barbarorum* Auctorem apud Scaligerum (2) 907. integros annos complectitur; ſed haec, utpote remotiora, earumque diſcrimen nihil moramur, quemadmodum ea, quae regum, & Archontum perpetuorum temporibus contigiſſe a Poetis & Hiſtoricis traduntur; cum pleraque, ac omnia ferme ita ambigua ac fabulis illigata ſint, ut nulla in hiſtoriis perlegendis utilitas, in temporibus dimetiendis perſpicuitas ſperari poſſit; innuenda tamen omnino erant, ut illa temporum ſeries, & vetus regiminis forma oſtenderetur, ex qua ſenſim Athenienſes ad annuos, Eponymoſque Archontes eligendos deſcenderunt, quorum nomine populares & civiles annos diſcernere conſueverunt, quod maximo in explorandis Graeciae hiſtoriae ſcriptoribus, & monumentis praeſidio eſſe debet. Nam quemadmodum Romana hiſtoria cognoſci non poteſt, niſi Conſulum ordo & nomina, & annus ille quo Conſulum aliquis praefuit, innoteſcat, ut ad certum annum aliquem ab V. C. referatur; ita Graecorum, & Athenienſium rerum ſeries prorſus incerta fluctuaret, niſi Eponymorum Archontum nomina, ſitus, & ea quae in annis eorum nomine diſtinguendis occurrunt, penitus perſpecta teneantur, ut ita facile Eponymi illi, quos ſcriptores & lapides obiiciunt, iis Olympicis annis adſcribantur, quibus illi regnarunt. Ergo ſublata tum regii, tum haereditarii, perpetuique, tum decennalis imperii forma, Archontes annui ſunt inſtituti. Et quamvis Archontis nomen vagum & commune foret, ſeu Magiſtratibus omnibus exprimendis accomodatum, ſolis tamen Novemviris illis, qui ſupremo Athenis imperio fungebantur, & ſingulis annis ex civibus eligebantur, concedi conſueverat, cum Prytanes, Proedri, Epiſtatae, Strategi, aliique Magiſtratus proprio diſtinctoque nomine appellarentur. Illorum numerum ſimulque nomen paucis expreſſit Pollux (3). *Archontum Athenienſium nomina. Novem Archontes. Sunt vero Ar-*

(1) Lib. II. Chron. (2) Chron. Euſeb. pag. 62. (3) Lib. VIII. c. 9. Seq 45.

Archon annum denominans, Rex, Polemarchus, atque ſex Theſmothetae; hiſce enim novem Archontes illi complentur. Vnus ergo erat ex hiſce novemviris, nam ceteros utpote ab inſtituto noſtro alienos, miſſos facio, qui principem locum obtinebat, quique Eponymus, ſive *annum denominans*, dicebatur, & qui quandoque ſolius Archontis nomine ab Auctoribus nuncupatur. Annuorum Archontum agmen ducit Creon, qui expleto Erixiae decennalis Archontis principatu, primus annuum hunc Magiſtratum ſuſcepit, quod menſe Gamelione, exeunte primo, ſecundoque ineunte Olympiadis XXIV. anno contigit, qui fuit P. I. annus 4030. V. C. 70. Numae Pompilii regis 32. Celebre hoc & ubique Graecorum vulgatum Eponymi nomen, illud erat, quod tamquam certum temporis indicium, atque character habebatur, & ad annos facile exprimendos potiſſimum accommodatum cenſebatur. Hinc in publicis tum populi, tum ſenatus decretis & legibus illud inſcribebatur, ut annus ille, quo lata lex fuerat, a ceteris ſecerneretur. Nullibi tamen frequentius hoc nomen ſe prodit, quam apud ſcriptores, quo ad temporum intervalla certa methodo diſtinguenda, uti potiſſimum maluerunt, ſed varia tamen ratione. Alii enim Eponymi Archontis nomen aliquando ſine alia temporis nota proferunt, ut Thucydides (1), cum Peloponneſiacum bellum Pythodori Archontis anno exarſiſſe tradit, & Ariſtoteles (2) cum ait: *ſub Eucle*, reponendum Euclide, *apparuit Cometa*; qua methodo paſſim Harpocration, Ariſtides, Demoſthenes, Ariſtophanis & Euripidis ſcholiaſtes utuntur. Imo quandoque duorum Archontum pluriumve nomina expreſſere, quorum unus alteri ſucceſſiſſe dicitur, ſed illorum tamen aetas reticetur; ita Demoſthenes (3): *Commorata* eſt *Megaris biennium*, hoc eſt, *Aſtei & Alciſthenis Archontis annum*. Interdum Eponymi nomen, ſimulque Olympicum annum, qui tunc agebatur, ſcriptores memorant, ut Laertius (4) tradit de Xenophonte, quod *obiit anno I.* Oly. CV. *Archonte Callidemide*: quod Athenaeus, Africanus, Pauſanias, Dionyſius Halicarnaſſeus *in Romanis Antiquitatibus, & in Epiſtola ad Ammaeum*, & Marmor Oxonienſe ubique obſervarunt. Sunt qui praeter Olympicum annum, Olympionicae etiam nomen, illius nempe, qui eo anno in ſtadio palmam retulerat, Archontis nomini adiiciunt: ſic Pauſanias (5):

O *Haec*

(1) Lib. II cap. 2. (2) Meteorol. Lib. I. cap. 6. (3) In Neaeram pag. 322.
(4) Lib. II. § 6. (5) Meſſen. cap. 23.

Haec geſta ſunt undetriceſima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon, Arcbonte apud Athenienſes Miltiade: qui mos Dionyſio & Diodoro Siculo familiariſſimus eſt. Nec deſunt qui ulterius Romanorum etiam Conſulum nomina cum Eponymis ipſis una committant. Ita Dionyſius (1): *Olympias erat ſexageſima nona, qua vicit in ſtadio Iſcbomachus Crotoniates, Athenis vero iterum Archon erat Aceſtorides; at Romae Conſules creati M. Valerius, & P. Poſthumius.* Id autem in libris ſuis, qui ad haec uſque tempora pervenerunt, potiſſimum praeſtitit Diodorus, qui ſingulis Olympiadum annis Eponymi Athenienſium Archontis, Conſulumque Romanorum nomen appinxit, & primo quoque Olympiadis anno, Olympionicam etiam adſcripſit. Quo tamen loco monendum cenſeo in hac Archontum, Conſulumque comparatione Diodorum frequenter decipi in Conſulum nomina, illorumque ſitum cum Eponymis conferendo, quod in Faſtos Conſulares mirifice depravatos inciderit. Quemadmodum etiam, non ſemper una conſpirant laudati ſcriptores in Archontum nominibus exprimendis, certoque anno Olympico adiudicandis, imo perſaepe vel in illorum nomine, vel aetate definienda immane diſcrepant, quo fit ut Archontici Faſti adhuc mutili & implexi circumferantur. Verum de his inferius. Ceterum varii illi temporum characteres, quos Eponymorum nomini adſcribunt nonnulli ſcriptores, ad verum illorum nomen aetatemque eruendam, rerumque quae illorum nominibus inſignitae fuerunt, veritatem aſſequendam, maximi ſplendoris & praeſidii eſſe poſſunt. Tali enim ope Sigonius, Meurſius, Dodvellus, Prideauxius, potiſsimum vero Corſinus luxatam Archontum ſeriem pluribus in locis reſtituerunt, & nonnulla Atticae Hiſtoriae capita illuſtrarunt. Paullo aliter res ſe ſe habet, ſi de Marmoribus ſermonem inferamus, quae pariter Eponymorum nomine exornari conſueverunt. Nam ſi Arundellianum Marmor excipiatur, in quo 43. Archontum nomina offenduntur cum iis Olympicis annis, quibus ipſorum quilibet imperavit, cetera vero omnia ſolum Archontis nomen ſine ullo temporis annive ſigno exprimunt. Parco exemplis cum illa paſſim apud Chiſhullum, Cyriacum, Sponium, Gudium, Muratorium, Gruterum, Gorium ſub oculis cadant. Vtinam eadem Eponymorum nominum frequentia, quae in lapidibus obſervatur, in Athenienſium quoque nummis haberetur. Magna profecto

(1) Lib. V. num. 37.

fecto concertatio, quae olim inter Eruditos exarſerat, nec modo penitus extincta cenſetur, dirempta eſſet. Nam quamvis nemo dubitet Sardianos, Pergamenos, Chalcidenſes, Byzantinos Chios, aliaſque Graecorum urbes, principes Magiſtratus, & Archontes praeſertim ſuis in nummis inſcripſiſſe (1), qui proinde ſaepiſſime hos characteres ΕΠΙ Αρχ. *ſub Archonte*, & aliquando ΑΡΧΟΝΤ. vel ſolum ΑΡΧ. plerumque ΑΡ. praefixos exhibeant; utrum vero id praeſtiterint Athenienſes, ſalebroſum ſane negotium eſt definire, cum in illorum nummis aliquando nulla, interdum plurima inveniantur nomina, nuſquam vero illud Eponymi. Verumtamen Corſinus (2) Athenienſes quoque Eponymorum nomina nummis conſignaſſe contendit, argumento ex aliarum Graeciae urbium conſuetudine facto, & ex nummo Anaphlyſtiorum, qui Atticae populi erant, in quo legitur: Ερι Θεωνος Αρχοντος *ſub Theone Archonte*, aliiſque indiciis, quae infirmari non adeo facile poſſunt. Et quamvis in ſingulis fere Athenienſium nummis non unicum, ſed plura potius nomina inſcribantur, Eponymi Archontis nomen principe quidem loco exprimi, poſtremis vero cives alios, aut rei nummariae praefectos deſignari arbitratur. Neque huic eximiae tempora indicandi methodo obfuerunt nonnullae regiminis formae atque viciſsitudines, quae priſtinum Athenarum ſtatum progreſſu temporis perturbarunt. Ita quamvis anno I. Oly. 55. Athenis per Piſiſtratum Tyrannis invecta fuerit, & per eius filios ad annum uſque I. Oly. 67. propagata, tamen per Archontes anni numerati ſunt. Ita quoque anno I. Oly. 92. licet Alcibiade auctore quadringentis optimatibus imperium commiſſum fuerit, qui paulo poſt ſublati ſunt, nihilominus per Theopompum Archontem a Diodoro (3), Lyſia (4), Plutarcho (5) annus ille indicatur. Quemadmodum anno I. Oly. 94. quo captis a Lyſandro Athenis, graviſſima in Rempublicam perturbatio erupit, Pythodorus tamen eiuſdem anni Archon dicitur a Xenophonte (6), & Lyſia (7), quamvis non liberis conſuetiſque populi ſuffragiis, ſed in Oligarchia, ſive paucorum imperio, electus eſſet. Quam ob cauſſam annum illum

O 2 Plu-

(1) Apud Hard. Num. pop. illuſ. 30. nummi his characteribus inſcripti habentur. Itidem apud Vaill. pag. 13. & Iobert Scienc. des Med. pag. 177. alii occurrunt. (2) Faſt. Att. Diſſ. XII. (3) Lib. XIII. cap 38. (4) Orat. XX. Apolog. Δωροδ. (5) Vit. X. Rhet. in Antiphonte. (6) Hiſtor. Graec. Lib. II. (7) Orat. VI de Sacra Oliva.

Plutarchus (1), & Diodorus (2) omiſſo Archontis nomine *Anarchiam* deſignarunt. Quare errat Petavius cum in Archontum Faſtis anno I. Oly. 94. Pythodorum, altero vero Anarchiam appingit, praeſertim cum octo poſt menſes priſtina Reipublicae forma ſit reſtituta. At vero anno 3. Oly. 118. reddita Atheni enſibus libertate a Demetrio, & Antigono Macedoniae regibus, tanta fuit civium illorum in reges illos aſſentatio, quos veluti Deos, urbiſque ſervatores ſunt proſecuti, ut *abrogato Eponymo patrioque Archonte, ſervatorum ſacerdotem quotannis creaverunt, ipſumque decretis, & contractibus praeſcripſerunt* (3). Verum exacto novemdecim annorum ſpatio, inclinanteque Demetrii fortuna, *Athenienſes ab illo defecerunt, ac Diphilum, qui ſervatorum ſacerdos inſcriptus erat, ex Eponymorum faſtis expunxerunt, ſciveruntque ut Archontes denuo, quod de more iis erat, crearentur* (4), quorum nomen & munera ad illa uſque tempora religioſe conſervarunt, quibus expugnatis a Sylla Athenis anno I. Oly. 173. Romanae Reipublicae, moxque Caeſaribus ſubeſſe debuerunt. Tanta deinde Athenis perturbatio imperii, Magiſtratuumque formam ſubſecuta eſt, ut dignitates non ex veteri legum inſtituto, ſed Praetorum, & Caeſarum arbitrio, atque auctoritate conferebantur. Hinc Caeſares ipſi Archontes quandoque renunciati, ut de Hadriano, & Gordiano ſcriptores & marmora teſtantur (5). Ineunte vero IV. Eccleſiae ſaeculo, atque praeſertim Conſtantini Caeſaris aetate, Archontum ille Magiſtratus, cuius poteſtas iam antea labefactata fuerat, ſenſim excidit, vel ſaltem obſcurus evaſit, & alter Magiſtratus *Strategus* dictus, nuperque invectus, qui Caeſaris auctoritate Praetoris, ſeu *Strategi* nomine praeſidebat, primum honoris gradum arripuit. Huius tamen nomen raro in marmoribus (6), quandoque in nummis (7), numquam ferme in ſcriptoribus, tamquam temporis, annorumve nota reperitur; quo fit, ut

(1) Vit. X. Rhet. in Lyſia. (2) Lib. XIV. cap 3. (3) Plut. in vita Demet. (4) Idem loco cit. (5) Vide Meur Lib. I. cap. 9. & Lib IV. cap. 19. & de fortuna Athen. cap 10. (6) Apud Murat. pag. 471. n 8. habetur inſcriptio, quae poſita dicitur: ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ Π. ΑΙΛ. *Stratego P. Aelio*. (7) Vaillantius pag. 66. & pag. 74 duos nummos profert, in quibus legitur: *Στρα. Ηρακλειδου Stratego Heraclide*. Id etiam obſervat Harduinus in nummis Colon. in Aezanit. ubi aſſerit: *illud notatu dignum, ante Antonini Pii tempora Στρατηγου nomen in nummis vix ſemel occurrere, quod ab illius principatu paſſim offendas*. Verum in Athenienſium nummis nondum nomen illud detectum fuit.

ut de Strategis, quorum ſeries prorſus incerta eſt; nihil hoc loco ſolliciti eſſe debeamus. Sed quamvis illa Strategorum dignitas omnium ſuprema evaſiſſet, nihilo tamen minus poſteris etiam aetatibus, licet raro, Archontis nomen invenitur. Quo certe loco non Archontem Eponymum, aut aliquem ex Novemviris, ſed potius Magiſtratum alium, quicumque ille fuerit, exprimere putandum eſt; ut Theagenes quidam apud Suidam (1), qui circa Chriſti annum 550. floruit, quique proinde perperam a Meurſio inter Eponymos recenſetur; & Flavius Plurades ille, qui apud Muratorium (2) in inſcriptione *διαδεμνότατος Α῎ρχων, κ̀ ἀπὸ Κομίτων* vocatur, qui ad IV. Eccleſiae ſeculum procul dubio ſpectat, quo Comitum dignitatem inſtitutam eſſe erudimur, quare immerito a Dodvello tamquam Eponymus Faſtis adſcribitur. Poſtremo tandem loco monuiſſe iuverit Latinos ſcriptores, in exprimenda Archontis Eponymi voce quandoque inter ſe diſſidere. Nam quamvis Cicero, & Trebellius (3), & Spartianus (4) ipſum Archontis nomen uſurpaverint, Eponymus tamen Athenienſium Archon a Plinio (5) quidem & Seneca (6) *Magiſtratus*, a Paullo Diacono (7) *Praetor*, a D. Hieronymo (8) *Princeps* vocatur. Hactenus Archontum inſtitutionem moremque, quo illorum nomina ad annos exprimendos in tabulis, decretis, hiſtoriis, lapidibus, & fortaſſe in nummis inſcriberentur, proſecuti ſumus; ea modo nos manent, quae propius hanc numerandi rationem circumſtant, ut propoſito vel a ſcriptoribus oblato Archontis nomine, aſſequi poſſimus, quo anno ille imperaverit, quove contigerit res aliqua illius Eponymi nomine circumſcripta, quave methodo Archonticus ille annus cum Olympiacis aut Conſularibus conferatur. Itaque primum obſervari debet Archonticum annum, ut ſuperius innuimus, exordium habuiſſe ſuum a ſolſtitio hiberno, adeoque Gamelione Attico, Romanoque Ianuario, atque ita obtinuiſſe ad annum uſque I. Oly. 87. Exinde vero ad aeſtivum ſolſtitium, ſive Hecatombaeonem Atticum, Romanumque ſextilem tranſlatum fuiſſe, quo quidem tempore una cum Olympicis annis procedebat; licet Thebani ſemper a ſolſtitio hiberno Archontes elegerint. Qua de re prima illa tempeſtate, primiſque 86. Olymp. Archonticus civiliſque Athenienſium an-

nus,

(1) In Marino, & Proclo. (2) Pag 560 n. 1. (3) In Gallieno. (4) In Hadriano (5) Lib. XXXIII. cap. 7. & III. cap. 5. (6) Epiſt. 18. (7) Hiſt. Miſc. Lib. IV. (8) In Chron. Euſeb. ad annum 1263.

nus, ſi ad Periodum Iulianam referri debeat, pari propemodum gradu cum illius annis decurrebat. At anno I. Oly. 87. ceteriſque mox inſequutis, quilibet Archonticus annus cum duobus Iul. Per. ita coniungitur, ut quilibet P. I. annus ſex poſtremos exeuntis, totidemque primos ineuntis Archontici anni menſes occupaverit. Maxime profecto intereſt invectam hanc de Archontici anni exordio varietatem apprime callere, ut legitimum Eponymorum annum, rerumque geſtarum feriem a ſcriptoribus eruamus. Monuimus enim plerumque Graecos ſcriptores, & quandoque Latinos, ſolere Archontum nominibus etiam illa Conſulum, qui tum Romae imperabant, alteram veluti temporis notam, adiicere. Lubrica profecto eſt haec Magiſtratuum comparatio, ſi quis ex ipſa Archontum aetates, factorumque tempora inveſtigare voluerit. Siquidem Archontici anni & Conſulares numquam ab uno eodemque ſolaris anni cardine profecti ſunt. Vidimus nuper Archontes ante annum I. Oly. 87. ineunte Gamelione Attico, ſive Ianuario Romano, deinceps vero Hecatombaeone, ſeu Sextili Romano, imperium ſuſcepiſſe. Quare antiquioribus illis temporibus, Conſules, ut ſuo loco diſſeruimus, longe ſerius, ſequioribus vero ac praeſertim cum Kal. Ian. Conſules inibant, longe citius Magiſtratum auſpicabantur; quo fit ut Archontici anni principium ante Olymp. 87. conſequeretur Conſularem, poſt illam vero eumdem praeiret. Hoc ſane diſcrimen plerumque diſſimulant ſcriptores, Conſuleſque cum Archonte illo committunt, qui ipſis iam conſulatu fungentibus, Archontis munus ſuſcepturus erat. At ſi accuratius Latini ſcriptores tempora numerare, Romanoſque Magiſtratus cum Graecis comparare voluiſſent, dati cuiuſdam anni Conſules cum Archonte illo committere debuiſſent, quo iam imperante Conſules inierunt. Idem etiam cavere oportet, cum Archontum anni una cum Olympicis coniuncti in ſcriptoribus offenduntur. Etenim Olympicus annus ab Hecatombaeone Attico, & Archonticus ante Oly. 87. a Gamelione exordiebatur; quare ad illud uſque tempus quilibet Archonticus annus duos Olympicos exeuntem ſcilicet, atque ineuntem complectebatur, ſive quilibet Archon ad duos dimidiatos annos Olympicos ita referri debet, ut ſex exeuntis, totidemque ineuntis anni Olympici menſes imperaverit. Cautiſſime ergo haec Archontum cum Olympicis annis commiſſio a ſcriptoribus expreſſa adhibenda eſt, atque ita calculum iniri

de-

debet, ut Archontes omnes, qui ante Olympiadem 87. regnarunt, exeunti anno Olympico tribuantur, poſt ipſam vero ineunti adſcribantur, cum per illud tempus uterque annus ab Hecatombaeone proceſſerit. Tutiſſimam hanc, certamque methodum, qua Archonticus annus tum ante, tum poſt Oly. 87. cum Olympicis annis committendus eſt, Oxonienſis Chronici Auctor accurate expreſsit, ipſamque in variis Epochis conſtanter uſurpavit; reliqui vero ſcriptores eam paſsim negligunt, imo Archontes ipſos etiam ante Oly. 87. ineuntibus potius annis adſcripſerunt. Pro utriuſque obſervationis exemplo, nempe de Archonticis annis cum Olympicis & Conſularibus componendis, ſit omnium inſtar ipſe Dionyſius. Ille enim primos Romanorum Conſules cum anno I. Oly. 68. & Iſagora Archonte coniunxit. Quaſi vero Iſagorae Magiſtratus una cum anni primi initio eiuſdem Oly. inceperit, poſtquam Conſules illi munere ſuo iam fungerentur, non vero ſex iam in imperio menſes anni 4. Oly. 67. exegiſſet, treſque itidem menſes ante Conſules illos imperaſſet, cum Iſagoras ineunte Gamelione vel Ianuario, Conſules vero Martio Magiſtratum ſuſceperint. Quare Iſagoras non cum primis Conſulibus, ſed cum anno 22. Tarquinii Superbi regis coniungi debet, neque ineunti primo, ſed quarto potius anno exeunti Oly. 67. eſt adſcribendus. Atque hic mihi in uberiorem Adoleſcentium utilitatem intuenti, in mentem ſubit, gratiſſimum fore, ſi annuorum Athenienſium Archontum ſeriem hoc loco exhibeam, pro ut eam caſtigavit, ſupplevit, atque exornavit Corſinus. Nam licet Meurſius, Dodwellus, aliique, olim in ea contexenda plurimum inſudaverint, mirum profecto eſt quantum Corſinus nuperrime novis ſcriptorum & monimentorum obſervationibus, eximiaque eruditione eamdem auxerit, atque illuſtraverit, dum quamplurimos Archontes adhuc ignotos reperit, alios loco moverit, multorumque verum annum & ſitum oſtenderit; licet quandoque coniecturis & indiciis tantummodo, ut ipſe fatetur, rem prorſus conficiat. Singulis Archontibus Olympiades, earumque annos adiecimus, ita tamen ut ab Oly. 24. uſque ad Olymp. 87. duobus numeris Olympici anni exprimantur, quod per ea tempora, ut ſuperius demonſtravimus, quilibet Archonticus annus ad duos dimidiatos Olympicos referatur; quemadmodum omiſimus eas Olympiades, illarumque annos, in quibus Archontes qui imperaverunt, nondum innoteſcunt.

Olymp.

Olympias 24. V. C. 78.

an. $\frac{1}{2}$ Creon Archontum ann. I.

an. $\frac{2}{3}$ Tleſias.

an. $\frac{3}{4}$ Lyſias.

Olymp. 27. V. C. 82.

an. $\frac{1}{2}$ Leoſtratus.

an. $\frac{3}{4}$ Piſiſtratus.

Olymp. 28. V. C. 86.

an. $\frac{4}{1}$ Autoſthenes.

Olymp. 29. V. C. 90.

an. $\frac{4}{1}$ Shiltiades.

Olymp. 30. V. C. 94.

an. $\frac{1}{2}$ Miltiades.

Olymp. 34. V. C. 110.

an. $\frac{4}{1}$ Dropilus.

Olymp. 35. V. C. 114.

an. $\frac{1}{2}$ Damaſias I.

Olymp. 39. V. C. 130.

an. $\frac{4}{1}$ Dracon.

Olymp. 41. V. C. 138.

an. $\frac{1}{2}$ Heniochides.

Olymp. 42. V. C. 142.

an. $\frac{4}{1}$ Megacles.

Olymp. 43. V. C. 146.

an. $\frac{3}{4}$ Ariſtocles.

Olymp. 46. V. C. 158.

an. $\frac{4}{1}$ Critias I.

an. $\frac{1}{2}$ Philombrotus.

an. $\frac{2}{3}$ Solon.

an. $\frac{3}{4}$ Dropides.

Olymp. 47. V. C. 162.

an. $\frac{4}{1}$ Eucrates.

an. $\frac{2}{3}$ Simon, *vel* Simonides.

Olymp. 48. V. C. 166.

an. $\frac{4}{1}$ Philippus.

an. $\frac{3}{4}$ Damaſias.

Olymp. 50. V. C. 174.

an. $\frac{3}{4}$ Archeſtratides.

Olymp. 52. V. C. 181.

an. $\frac{2}{3}$ Ariſtomenes.

Olbmp. 53. V. C. 186.

an. $\frac{2}{3}$ Hippoclides.

Olymp. 55. V. C. 194.

an. $\frac{4}{1}$ Comias.

an. $\frac{1}{2}$ Hegeſtratus.

Olymp. 56. V. C, 198.

an. $\frac{4}{1}$ Euthydemus.

Olymp. 58. V. C. 206.

an. $\frac{4}{1}$ Erxiclides.

Olymp. 61 V. C. 218.

an. $\frac{4}{1}$ . . . . aeus primus. (1)

an.

(1) Cum in Chronico Oxonienſi Epoch. 44. lin. 38. habeantur mutilae illae & poſtremae nominis partes, a Dodvello *Athenaeus*, a Lidiato, & Prideauxio *Alcaeus*, ſed tantum coniectura, Archon iſte vocatur.

an. $\frac{3}{4}$ Heraclides.
Olymp. 64. V. C. 230.
an. $\frac{4}{1}$ Miltiades.
Olymp. 67. V. C. 242.
an $\frac{3}{4}$ Cliſthenes.
Olymp. 68. V. C. 246.
an. $\frac{4}{1}$ Iſagoras Tiſandri filius.
Olymp. 69. V. C. 250.
an. $\frac{4}{1}$ Aceſtorides II.
Olymp. 70. V. C. 254.
an. $\frac{4}{1}$ Myrus.
Olymp. 71. V. C. 258.
an. $\frac{4}{1}$ Hipparchus.
an. $\frac{1}{2}$ Philippus.
an. $\frac{2}{3}$ Pythocritus.
an. $\frac{3}{4}$ Themiſtocles.
Olymp. 72. V. C. 262.
an. $\frac{4}{1}$ Diognetus.
an. $\frac{1}{2}$ Hybrilides.
an. $\frac{2}{3}$ Phaenippus II.
an. $\frac{3}{4}$ Ariſtides.
Olymp. 73. V. C. 266.
an. $\frac{4}{1}$ Anchiſes.
an. $\frac{1}{2}$ Lacratides.
an. $\frac{2}{3}$ Miltiades.
an $\frac{3}{4}$ Philocrates.
Olymp. 74. V. C. 270.
an. $\frac{4}{1}$ Leoſtratus.

an. $\frac{2}{3}$ Nicodemus.
Olymp. 75. V. C. 274.
an. $\frac{4}{1}$ Calliades.
an. $\frac{1}{2}$ Xanthippus.
an. $\frac{2}{3}$ Timoſthenes.
an. $\frac{3}{4}$ Adimantus.
Olymp. 76. V. C. 278.
an. $\frac{4}{1}$ Phaedon.
an. $\frac{1}{2}$ Dromoclides.
an. $\frac{2}{3}$ Aceſtorides.
an. $\frac{3}{4}$ Menon.
Olymp. 77. V. C. 282.
an. $\frac{4}{1}$ Chares.
an. $\frac{1}{2}$ Praxiergus.
an. $\frac{2}{3}$ Demotion.
an. $\frac{3}{4}$ Phaedon.
Olymp. 78. V. C. 286.
an. $\frac{4}{1}$ Theagenides.
an. $\frac{1}{2}$ Lyſiſtratus.
an. $\frac{2}{3}$ Lyſanias.
an. $\frac{3}{4}$ Lyſitheus.
Olymp. 79. V. C. 290.
an. $\frac{4}{1}$ Archidemides.
an. $\frac{1}{2}$ Tlepolemus.
an. $\frac{2}{3}$ Conon.
an. $\frac{3}{4}$ Euthyppus.
Olymp. 80. V. C. 294.
an. $\frac{4}{1}$ Phraſiclides.

an. $\frac{1}{2}$ Philocles.

an. $\frac{2}{3}$ Bion.

an. $\frac{3}{4}$ Mneſitheus.

Olymp. 81. V. C. 298.

an. $\frac{4}{1}$ Callias I.

an. $\frac{1}{2}$ Soſiſtratus.

an. $\frac{2}{3}$ Ariſton.

an. $\frac{3}{4}$ Lyſicrates.

Olymp. 82. V. C. 302.

an. $\frac{4}{1}$ Chaerephanes.

an. $\frac{1}{2}$ Antidotus.

an. $\frac{2}{3}$ Euthydemus.

an. $\frac{3}{4}$ Pediaeus.

Olymp. 83. V. C. 306.

an. $\frac{4}{1}$ Philiſcus.

an. $\frac{1}{2}$ Timarchides.

an. $\frac{2}{3}$ Callimachus.

an. $\frac{3}{4}$ Lyſimachides.

Olymp. 84. V. C. 310.

an. $\frac{4}{1}$ Praxiteles.

an. $\frac{1}{2}$ Lyſanias.

an. $\frac{2}{3}$ Diphilus.

an. $\frac{3}{4}$ Timocles.

Olymp. 85. V. C. 314.

an. $\frac{4}{1}$ Myrichides.

an. $\frac{1}{2}$ Glaucidas.

an. $\frac{2}{3}$ Theodorus.

an. $\frac{3}{4}$ Euthymenes.

Olymp. 86. V. C. 318.

an. $\frac{4}{1}$ Lyſimachus Myrrhynuſius.

an. $\frac{1}{2}$ Antilochides.

an. $\frac{2}{3}$ Chares.

an. $\frac{3}{4}$ Apſeudes. (1)

(2) Olymp. 87. V. C. 322.

an. 1. Pythodorus.

an. 2. Euthydemus.

an. 3. Apollodorus.

an. 4. Epaminondas.

Olymp. 88. V. C. 326.

an. 1. Diotimus.

an. 2. Euclides Molonis filius.

an. 3. Euthydemus.

an. 4. Stratocles.

Olymp.

(1) Apſeudes iſte, qui anno 3. huius Olymp. menſe Gamelione Magiſtratum iniit, non ſolum aliorum inſtar imperavit uſque ad Gamelionem anni 4. eiuſdem Olymp. ſed inſuper illi poteſtas prorogata fuit uſque ad Hecatombaeonem anni I. ſequentis Olymp quo ineunte Archonticus annus, & Olympicus ſimul proceſſit, adeoque octodecim menſes imperavit. Vid Corſ. Faſt. Att. Tom. 2 pag. 71. (2) Anno primo huius Olymp. Metonis Enneadecaeteride recepta, civilis & Archonticus annus una ſimul cum Olympico progredi coepit, adeoque Archontes ipſi non amplius a Gamelione menſe, ſeu Romano Ianuario, ut antea conſueverant, ſed Hecatombaeone, ſeu Romano Sextili inceperunt. Quare cum deinceps Archonticus annus non amplius duos Olympicos, exeuntem ſcilicet atque ineuntem, complectatur, ſed quilibet Archon ad unum tantum Olympicum annum referri debeat, nos impoſterum unico tantum numero Archonticum & Olympicum annum deſignabimus.

Digitized by Google

Olymp. 89. V. C. 330.
an. 1. Iſarchus.
an. 2. Aminias.
an. 3. Alcaeus.
an. 4. Ariſtion.

Olymp. 90. V. C. 334.
an. 1. Aſtyphilus.
an. 2. Archias.
an. 3. Antipho.
an. 4. Euphemus.

Olymp. 91. V. C. 338.
an. 1. Ariſtomneſtus.
an. 2. Chabrias.
an. 3. Piſander.
an. 4. Cleocritus.

Olymp. 92. V. C. 342.
an. 1. Callias.
an. 2. Theopompus.
an. 3. Glaucippus.
an. 4. Diocles.

Olymp. 93. V. C. 346.
an. 1. Euctemon.
an. 2. Antigenes.
an. 3. Callias II.
an. 4. Alexias.

Olymp. 94. V. C. 350.
an. 1. Anarchia, *vel* Pythodorus.
an. 2. Euclides.
an. 3. Micio.
an. 4. Exaenetus.

Olymp. 95. V. C. 354.
an. 1. Laches.
an. 2. Ariſtocrates.
an. 3. Ithycles.
an. 4. Lyſiades.

Olymp. 96. V. C. 358.
an. 1. Phormio.
an. 2. Diophantus.
an. 3. Eubulides.
an. 4. Demoſtratus. (1)

Olymp. 97. V. C. 362.
an. 1. Philocles.
an. 2. Nicoteles.
an. 3. Demoſtratus.
an. 4. Antipater.

Olymp. 98. V. C. 366.
an. 1. Pyrrhio.
an. 2. Theodotus.
an. 3. Myſtichides.
an. 4. Dexitheus.

Olymp. 99. V. C. 370.
an. 1. Diotrephes.
an. 2. Phanoſtratus.
an. 3. Evander.
an. 4. Demophilus.

Olymp. 100. V. C. 374.
an. 1. Pytheas.
an. 2. Nicon.
an. 3. Nauſinicus.
an. 4. Calleas.

Olymp. 101. V. C. 378.
an. 1. Chariſander.
an. 2. Hippodamas.
an. 3. Socratides.
an. 4. Aſteius.

Olymp. 102. V. C. 382.
an. 1. Alciſthenes.
an. 2. Phraſiclides.
an. 3. Dyſcinetus.
an. 4. Lyſiſtratus.

Olymp. 103. V. C. 386.
an. 1. Nauſigenes.
an. 2. Polyzelus.
an. 3. Cephiſodorus.
an. 4. Chion.

Olymp. 104. V. C. 390.
an. 1. Timocrates.
an. 2. Chariclides.
an. 3. Molon.
an. 4. Nicophemus.

(1) Archon ille a Diodoro Lib. 15. cap. 20. Menander vocatur.

Olymp. 105. V. C. 394.
an. 1. Callimedes.
an. 2. Euchariſtus.
an. 3. Cephiſodorus.
an. 4. Agathocles.

Olymp. 106. V. C. 398.
an. 1. Elpines.
an. 2. Calliſtratus.
an. 3. Diotimus.
an. 4. Eudemus.

Olymp. 107. V. C. 402.
an. 1. Ariſtodemus.
an. 2. Theſſalus.
an. 5. Apollodorus.
an. 4. Callimachus.

Olymp. 108. V. C. 406.
an. 1. Theophilus.
an. 2. Themiſtocles.
an. 3. Archias.
an. 4. Eubulus.

Olymp. 109. V. C. 410.
an. 1. Lyciſcus.
an. 2. Pythodotus.
an. 3. Soſigenes.
an. 4. Nicomachus.

Olymp. 110. V. C. 414.
an. 1. Theophraſtus Aleenſis.
an. 2. Lyſimachides.
an. 3. Chaerondas.
an. 4. Phrynicus.

Olymp. 111. V. C. 418.
an. 1. Pythodemus.
an. 2. Evaenetus.
an. 3. Cteſicles.
an. 4. Nicocrates.

Olymp. 112. V. C. 422.
an. 1. Nicetes.
an. 2. Ariſtophanes.
an. 3. Ariſtophon.
an. 4. Cephiſophon.

Olymp. 113. V. C. 426.
an. 1. Euthycritus.
an. 2. Hegemon.
an. 3. Chremes.
an. 4. Anticles, *vel* Soſicles.

Olymp. 114. V. C. 430.
an. 1. Hegeſias.
an. 2. Cephiſodorus.
an. 3. Philocles.
an. 4. Archippus.

Olymp. 115. V. C. 434.
an. 1. Neaechmus.
an. 2. Apollodorus.
an. 3. Archippus.
an. 4. Demogenes.

Olymp. 116. V. C. 438.
an. 1. Democlides Sphettius.
an. 2. Praxibulus.
an. 3. Nicodorus.
an. 4. Theophraſtus.

Olymp. 117. V. C. 442.
an. 1. Polemon.
an. 2. Simonides.
an. 3. Hieromnemon.
an. 4. Demetrius Phalereus.

Olymp. 118. V. C. 446.
an. 1. Charinus.
an. 2. Anaxicrates.
an. 3. Coroebus.
an. 4. Euxenippus.

Olymp. 119. V. C. 450.
an. 1. Pherecles.
an. 2. Leoſtratus.
an. 3. Nicocles.
an. 4. Calliarchus.

Olymp. 120. V. C. 454.
an. 1. Hegemachus.
an. 2. Euctemon.
an. 3. Mneſidemus.
an. 4. Antiphates.

Olymp.

Olymp. 121. V. C. 458.
an. 1. Nicias.
an. 2. Nicoſtratus.
an. 3. Olympiodorus.
an. 4. Philippus.
Olymp. 122. V. C. 462.
an. 3. Philippus.
Olymp. 123. V. C. 466.
an. 1. Diphilus.
an. 2. Diocles.
Olymp. 125. V. C. 474.
an. 1. Gorgias.
an. 2. Anaxicrates.
an. 3. Democles.
Olymp. 127. V. C. 482.
an. 2. Pytharatus.
Olymp. 129. V. C. 490.
an. 1. Diognetus.
Olymp. 130. V. C. 494.
an. 1. Arrhenides.
Olymp. 158. V. C. 606.
an. 2. Antitheus.
Olymp. 162. V. C. 622.
an. 1. Heraclitus.
Olymp. 163. V. C. 626.
an. 3. Agathocles.
an. 4. Iaſon.
Olymp. 173. V. C. 666.
an. 1. Athenion, *vel* Ariſtion.
Olymp. 177.
an. 3. Magnus Gaius.
Olymp. 180. V. C. 694.
an. 1. Herodes.
Olymp. 182. V. C. 702.
an. 1. Polycharmus.

Olymp. 188. V. C. 726.
an. 2. Nicias Serapionis filius Athmoneus.
an. 3. Areus Morionis filius Paeanienſis.
an. 4. Claudius Attalus. (1)
Olymp. 197. V. C. 762.
an. 1. Rhoemetalces Thraciae Rex.
Olymp. 198. V. C. 766.
an. 3. Zeno Menneae filius Phlyenſis.
Olymp. 205. V. C. 794.
an. 1. Metrodorus.
Themiſtocles Beſaeenſis.
Olymp. 206. V. C. 798.
an. 1. Antipater.
Olymp. 207. V. C. 802.
an. 1. Dinophilus.
Olymp. 208. V. C. 806.
an. 1. Dionyſodorus.
an. 4. Conon.
Olymp. 210. V. C. 814.
an. 1. Thraſyllus.
Olymp. 211. V. C. 818.
an. 1. Demoſtratus.
Olymp. 214. V. C. 830.
an. 1. Atelianus.
Olymp. 215. V. C. 834.
an. 3. Anarchia.
Olymp. 218. V. C. 846.
an. 1. Domitianus Imperator.
Olymp. 222. V. C. 862.
an. 1. Ariſtarchus.
an. 4. Hadrianus Auguſtus.

Olymp.

(1) In nonnullis lapidibus apud Reineſium Claſſ. I. num. 155. & Gruterum pag. 319. num. 2. & pag. 317. num. 2. & Muratorium Nov. Inſcript. Theſ. pag. 611. num. 1. habentur haec Archontum nomina, *Nauſias*, *Lyciſcus*, *Dionyſius*, *Theon*, *Agaſias*, quorum aetas licet incerta ſit, tamen ſub Caeſaribus eos floruiſſe, circa has Olympiadas optime coniiciunt Eruditi.

(1) Olymp. 223. V. C. 866.
an. 4. Macrinus.
(2) Olymp. 227. V. C. 882.
an. 1. Tiberius Iulius Macer.
an. 4. Hadrianus Imperator.
Claudius Heraclides Melitenſis.
Olymp. 229. V. C. 890.
Herodes Atticus Marathonius.
Olymp. 230. V. C. 894.
(3) Tiberius Claudius Soſpis.
Olymp. 236. V. C. 918.
an. 1. Tiberius...... Ponticus Beſaeenſis.
an. 2. Theopompus Thalami filius Paeanienſis.
an. 3. M. Valerius Mamertinus Marathonius.
an. 4. Hiceſius Theogenis filius Sphettius.
(4) Philotimus Arceſidemi filius Eleuſius.
Olymp. 240. V. C. 934.
an. 1. M. Aurelius Lithophorus Proſdectus Piſtocratis filius Cephalenſis.
Olymp. 244. V. C. 950.
an. 1. ..... Protus.
Olymp. 245. V. C. 954.
an. 1. Apollonius.
Olymp. 250. V. C. 974.
an. 1. Philinus.
Olymp. 259. V. C. 1010.
an. 4. M. Vlpius Eubiotus.
Olymp. 261. V. C. 1018.
an. 1. Gallienus Imperator.
Olymp. 262. V. C. 1022.
an. 1. P. Herennius Dexippus Ptolemaei filius Hermeius.
Olymp. 276. V. C. 1077.
an. 1. Conſtantinus Imperator Athenis Strategus.
Circa Olymp. 277.
Flavius Prylades.
Olymp. 316. V. C. 1238.
an. 1. Nicagoras Iunior.
Circa Olymp. 320.
Theagenes.

CAP.

(1) In marmore quod in Atticis Inſcriptionibus profert Corſinus, occurrunt talia Archontum nomina, *Nicaresus*, *Paranomus*, *Dionyſius*. Quamvis in marmore nulla temporis nota habeatur, ex characterum tamen forma deducitur, eos circa has Olymp. floruiſſe. (2) Ad Hadriani tempora, ſeu ad has Olympiades revocat Corſinus Faſt. Att. T. 2. Diſſert. 10. nonnullos Archontes incertae aetatis, quorum haec ſunt nomina: *Caius Iulius Caſius Stirienſis*, *M. Munatius Maximianus Vopiſcus*, *Demoſtratus Marathonius*, *Lucius Bulaei filius*. (3) Huius aetas atque ſitus plane incompertus eſt, leviſſimoque indicio hic inſeritur. (4) Proxime poſt Hiceſium, Philotimum hunc ſucceſſiſſe, non obſcuris coniecturis demonſtrat Corſinus Inſcript Att. pag. 34.

CAPVT XI.

De ratione annorum numerandorum apud Romanos per Magiſtratuum, praeſertim per Conſulum nomina.

OFfert ſe modo poſtremo hoc tandem loco annorum ratio deſignandorum per Conſulum nomina, quam prae ceteris ſcriptores, atque omne monimentorum genus frequentius uſurpare conſuevit. Sed dolendum nativam hanc atque uſitatam numerandi methodum, ex qua ſacrae (1) profanaeque Hiſtoriae lucidus geſtorum ordo ac ſeries maxime pendet, moleſtiis ſalebriſque adeo implicari, ut quamvis in Conſulum ſerie, ſeu Romanis Faſtis condendis, aut corrigendis egregia cum laude plurimi (2) inſudaverint; integra tamen & caſtigata, numeriſque omnibus abſoluta Conſulum ſeries, ſit adhuc in votis eruditorum. Nos itaque, qui brevitati cum utilitate coniunctae ſtudere gloriamur, neque prolixius ſpartam hanc pertractare, neque prorſus indictam praeterire, optimum duximus. Atque hanc inſiſtemus viam, ut ea nempe, quae alii ſcriptores fuſe proſequuntur, adeoque commode ab iis mutuari poſſunt ſtudioſi Adoleſcentes, hic omittemus, illa vero, quae ab iis vel praeterita, vel obiter delibata fuere, quod aliena fortaſſe erant ab illorum conſilio, quaeque nos ad ſcriptores & monimenta intelligenda apprime neceſſaria cenſemus, hoc loco conſectabimur, quod huiuſce inſtitutae noſtrae ſcriptionis ac temporis omnino ſint. Enim vero cum Conſulum dignitas, atque ſeries ſub duplici veluti aſpectu nobis ſe conſpiciendam exhibeat, cum ſcilicet incolumis ſtetit olim Reſpublica, & poſtquam fractae illius vires ceſſit unius imperio atque arbitrio; ita etiam, quae in utroque Conſulum ſtatu pro ea de qua eſt ſermo numerandi ratione, animadvertenda ſunt, exquiremus. Itaque ut a primo exordiamur, illud perſaepe in ſcriptoribus, monimentiſque perlegendis quamplu-

(1) *Per Conſulum nomina multa ſaepe quaeruntur a nobis, & ignoratio Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare.* Sanct. Auguſt. Lib. 2. de Doct. Chriſt. Cap 28. (2) Inter eos, qui ſpartam hanc aggreſſi ſunt, eminent Panvinius, Sigonius, Scaliger, Baronius, Noriſius, Mediobarbus, Pagius, Almelovenius, Relandus, Dodvellus, Blanchinius, Silveſtrius, Stampa. Faſti tamen Conſulares a Dodvello concinnati vulgo ab erud.t.s, utpote accuratiores ceteris praeferuntur.

plurimos morari ſolet, quod ex. gr. dum apud Livium aliumque auctorem duo Conſules cum eorum anno memorantur, ipſo eodemque anno a Cicerone, aliove ſcriptore, aut monumentis alii prorſus Conſules deſignentur, ita ut uni eidemque anno a diverſis ſcriptoribus, diverſi omnino Conſules alligentur. Quare ut id ſuis ex fontibus repetatur, veruſque Conſularis annus in hiſce ſcriptorum locis innoteſcat, nonnulla obſervari debent, quae conſulto dum de Epocha ab Vrbe Condita loqueremur, omiſimus, atque in hunc locum, utpote opportuniorem diſtulimus. Etenim variae ſunt de Epocha illa opiniones. Fabius Pictor Romam exeunte anno I. Oly. 8. conditam exiſtimavit, Polybius exeunte anno 2. Oly. 7. Verrius Flaccus (1) exeunte anno 4. Oly. 6. Cato exeunte anno 1. Oly. 7. denique Varro exeunte anno 3. Oly. 6. Diſſenſus iſte ex eo unice profluxit, quod Fabii, Polybii, Flacci, & Varronis aetate, Magiſtratuum & Conſulum ſeries ab anno 1. exeunte Oly. 120. uſque ad ipſorum tempora, prorſus integra atque explorata foret, atque eadem Conſulum nomina in Faſtis omnibus haberentur. Aliter vero, ſi ab eo anno ad ſuperiora tempora, urbiſque originem aſcendamus, res ſe ſe habet. Tunc enim maxima ubique varietas & perplexitas occurrit, tum in Regum aetate, cum in Magiſtratuum Conſulumque numero definiendo. Id in cauſſa fuit, cur Varro ex. gr. Conſules quoſdam invenerit, qui ab aliis omiſſi fuerant; quoſdam vero loco moverit, quos alii Faſti excipiebant, cur denique Romanae Vrbis originem paullo antiquiorem oſtenderit, quam ab aliis admitteretur; & viciſſim cur alii, qui vel plures, vel pauciores ex annuis Magiſtratibus praeterierant, eamdem Vrbis Epocham paullo recentiorem contendant. Iuverit uno & altero exemplo rem propius attingere. Itaque Verrius Flaccus Tarquinio Priſco non 38. ut Varro, ſed 37. regni annos conceſſit; Cato in ſuis Faſtis tres annuas Dictaturas diſſimulat, quas enumerat Varro, atque Decemviris, qui anno 1. Oly. 82. inſtituti fuerant, non duos ut Varroniana hypoteſis, ſed tres annos aſſignat; Polybius trigeſimum octavum Tarquinii annum, itemque tres annuas Dictaturas praeterit; tandem Fabius Pictor non modo memoratum Tarquinii annum, eaſdemque annuas Dictaturas omiſit, ve-

(1) Auguſti Caeſaris aetate hic floruit, atque is eſt, qui Capitolinos Faſtos adhuc Romae ſuperſtites Marmorique inſcriptos compoſuit.

verum etiam annum illum miſſum facit, qui veluti Anarchiae *quintus* a Varrone recenſetur. Huc ergo referri debet tota diſſidii cauſſa atque varietas, quae in Conſulibus certo cuique anno adſcribendis, atque in temporibus per illorum nomina definiendis inter auctores illos invenitur; adeo ut annus 1. Oly. 120. quo M. Tullius Paetinus, & T. Manlius Torquatus Conſules fuere, a Varrone 455. in Capitolinis Faſtis 454. a Catone 453. ab V. C. numeretur. Inſequentes deinde ſcriptores, ſuperiorum inſtar, in rerum geſtarum ſerie, anniſque per Conſulum nomina efferendis diſſidere conſpiciuntur, quippe qui uni vel alteri ex ſententiis illis inſtiterunt. Etenim Livius, licet aliquando Fabio Pictori adhaerere videatur, tamen teſte Dodvello (1), ubique fere Catonis Epocham amplectitur; Cicero & Plinius Varronem ſequuntur, quamquam hic nonnumquam Catonis hypotheſim uſurpaverit; quemadmodum Gellius etſi saepius Varronem, quandoque vero Polybium conſectatur; at Cornelius Nepos ſemper Polybii, ut Dionyſius Halicarnaſſeus Catonis Epocham amplexus eſt. Eodem pacto diſcrepant recentiores; nam, ſi Fabii atque Polybii ſententiam, quae nullos habuit aſſertores, excipiamus, Cuſpinianus, Pighius, Sigonius, Almelovenius Dionyſianam Epocham ceteris praetulerunt, eamque plurimi cum Capitolina confundunt. At Panvinius, Bucherius, Vſſerius, Petavius, Noriſius, Dodvellus, aliique magni nominis Chronologi Varronis ſententiam omnibus aliis accuratiorem non modo exiſtimarunt, ſed etiam luculenter oſtenderunt (2). Haec primo accuratiſſime prae oculis haberi debent, ut ſcriptorum teſtimonia, itemque Conſulum nomina ab iis prolata, rite inter ſe conferri poſſint, atque diſſidium illud dirimi, quod in rerum geſtarum temporibus illius Magiſtratus nomine indicandis, facile oriretur. Atque illud etiam ad Hiſtoricorum loca recte exponenda, Conſuleſque ad ſuos annos referendos plurimum iuverit, ſi nempe animo reputemus, eumdem Magiſtratum apud Romanos haud ſemper uno eodemque anni tempore, ſeu menſe, ſed aliquando ſerius, aliquando maturius incepiſſe. Haec autem praecipua varietas Dodvello duce obſerva-

(1) Diſſert. 10. Sect. 73. (2) Momenta graviſſima pro hac hypotheſi congeſſit praeſertim Petavius Doctrin. Temp. Lib. 9. Cap. 50. & Dodvellus Diſſert. 10. Sect. 80. Verumtamen argumentum illud, quod ex celebri Ciceronis loco de emortuali Platonis anno, protulit pro Varroniana opinione Dodvellus, omnino falſum demonſtrat Corſinus, ubi de Platonis itinere Tarentum, eiuſque morte diſſerit, Symb. Litter. Tom. VI. pag. 105.

tur; ut nimirum primi Conſules Kalendis Martiis inierint, quae veluti Ianuariae Kalendae haberi poſſunt, cum Martius ea tempeſtate Ianuarii menſis locum occuparet; anno Varroniano 261. Kal. Sept. longe nempe citius Conſules proceſſere; anno 277. ante XV. Kal. ſextiles, anno 278. ceteriſque pone ſequentibus ſextili menſe inceperunt; anno 303. Decemviri, ab Idibus Maiis, & Conſules anno 311. & 331. ab Idibus Decembribus ordiebantur; aſt anno 353. Kal. Octob. inierunt; ab anno 363. ad annum uſque 425. a Kal. Quintilibus, ſed ab anno 434. ad 460. a die quadam inter 13. & 21. ſextilis, Conſularis anni principium profectum eſt, atque exinde ad annum uſque 474. iterum a Kal. Quintilibus; intermedio quodam anno a Varroniano 474. ad 502. Conſulatus initium inter 17. & 23. Martii diem incidit: ſed poſt annum 522. & ante 537. Martiis Idibus Conſules auſpicabantur; annoque demum 600. ceteriſque inſequentibus a Kal. Ianuariis Magiſtratum ſuſcepere. Licet vero huiuſmodi varietas, in tempore quo Conſules inibant, deprehendatur, ubi tamen in Conſulum nomina civili cuidam anno a ſcriptoribus aut a Faſtis praefixa incidamus, ita ad eum annum referri poſſunt, perinde quaſi Conſules illi a Kal. Ianuariis proceſſiſſent, adeoque integro anno illo Iulianae Periodi imperaſſent. At ſi fortaſſe cui libeat Conſulares annos cum Olympicis committere, aut eoſdem, quoties a ſcriptoribus ſimul coniunguntur, in trutina penſitare, animadvertat oportet, quod quamvis Conſules ipſi ad duas Olympici anni, exeuntis ſcilicet atque ineuntis, partes revocari debeant, ſatius tamen erit ad exeuntem illum annum eoſdem referre, quo faſces ſuſcepere. Etenim ſi incerta quaedam ineundi Conſulatus tempora & exempla excipiantur, Conſulare imperium ante Olympici anni finem plerumque exorditur. Ceterum maxima cautio adhibenda eſt, vel quoties haec Conſulum una cum Olympicis annis comparatio fit, vel eadem a ſcriptoribus expreſſa atque oblata uti malimus. Non ne principes etiam ſcriptores hac in parte aberrarunt? Profecto Livius (1) aſſerit, quod antequam Claudius Nero, & Lucius Salinator Conſules Magiſtratum inirent, *Olympiae Ludricum ea aeſtate futurum erat, quod maximo coetu Graeciae celebrabatur*. Quare ſi illius hypotheſi adhaerendum eſſet, in qua Conſules illi anno V. C. Varr. 547. adſcribuntur, Olympicos ludos in annum ipſum 547. incidiſſe, creden-

den-

(1) Lib. 27. Cap 35.

dendum foret, cum revera ea Olympia ſuperiori aeſtate Marcello, & Criſpino Conſulibus contigerint (1); anno ſcilicet V. C. Varr. 546. At poſtquam Romana Reſpublica a veteri regiminis forma deflexit, & in Principatum erupit: & ſi Conſularis dignitas in Reipublicae everſione ſuperſtes, & quodammodo ab illius interitu ſplendidior emergere viſa eſt; fractae tamen eiuſdem Magiſtratus non modo vires, ſed & variata illius eligendi ratio, & multa nova invecta, quae Conſulares Faſtos non mediocriter perturbarunt. Ex iis autem, ea tantum, quae ad inſtitutum hoc noſtrum potiſſimum ſpectant, ſeligemus, atque Adoleſcentibus animadvertenda in ſcriptoribus, & monimentis illorum temporum perluſtrandis, exponemus. Atque ille in ipſo Principatus limine mos primum invaluit, ut non modo apud Imperatores eſſet impoſterum Conſulum deſignatio, ſed ut novi Principes, ſive Caeſares, ſive Auguſti renunciati forent (2), proximis poſt ſuſceptum imperium Kal. Ianuariis Conſulatu donarentur (3). Id autem ita ſe habebat: vel unum ex *Suffectis* Conſulatibus, iam eo anno privatis viris delatum, in ſe transferebant, quod rarius contigit, vel Conſulatum *Ordinarium* inſequentis anni, licet aliis etiam deſtinatum, adventantibus Kal. Ian. inibant. Neque modo ab Imperii, & Caeſareae dignitatis exordio eum Magiſtratum ſuſcipiebant, ſed ſtatis quidem certiſque ut plurimum temporibus eumdem iterabant. Quare ad

Cae-

(1) Vid Corſin. Diſſert. Agon. pag. 65. (2) Id egregie confirmatur ex Plinii Panegyr. Cap. 57. ubi Traiani moderatio laudibus maxime extollitur, quod proximis poſt adeptum imperium Kal. Ian. Conſul procedere noluiſſet: *Conſulatum recuſaſti, quem novi Imperatores deſtinatum aliis in ſe transferebant.* Et Cap. 58 *Contigit ergo privatis aperire annum, Faſtoſque reſerare: & hoc quoque redditae libertatis indicium fuit, quod Conſul alius quam Caeſar eſſet, Sic exactis Regibus coepit liber annus.* Eadem ratione Magnum Theodoſium extollit Themiſtius Orat. 16. quod Imperii ſui Quinquennalibus Conſulatum ſibi debitum in Saturninum tranſtuliſſet: *Et quod nemini antea conceſſum fuit, in Imperatorio Luſtro primas in Republica privatus tenet.* (3) De Auguſtorum Conſulatu in monimentis ſignato, nova & ſingularis eſt Harduini ſententia. Is enim putat eumdem non Magiſtratum Vrbanum, ſed illum in Romana Republica ſupremum fuiſſe, de quo ſcriptor Machabaeorum Lib I. Cap. 15. v. 16. ait: *Lucius Conſul Romanorum.* & Cap. 8. verſ. 16. *& committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos, dominari univerſae terrae ſuae, & omnes obediunt uni.* Conſules autem Vrbanos binos fuiſſe, dum interim Reipublicae Conſul, ſive ut ſacer ſcriptor habet, *Conſul univerſae terrae* Romanorum, unus erat abſque Collega. Quam merito haec opinio reiiciatur, vid. Spanhem. de Praeſt. & Vſ Num. Diſſ XII. pag. 460.

Caeſarum Auguſtorumque Conſulatus tuto internoſcendos, eoſque in Faſtis digerendos, ſex Canones a Pagio excogitati ſunt, quorum beneficio atque uſu non modo Conſulum, & Auguſtorum, ſed Chriſtianae quoque Eccleſiae Chronologia mirifice illuſtrari confirmarique praedicat (1). Regulae autem illae huiuſmodi ſunt. Prima, *Imperii auſpicium*. Secunda, *Quinquennalium, & id genus feſtorum celebratio*. Tertia, *Caeſarum & Auguſtorum in eadem dignitate Collegium*. Quarta, *Expeditiones militares*. Quinta, *Triumphi*. Sexta, *Ludi ſaeculares, aliaeque actiones, maiori pompa & ſolemnitate fieri ſolitae*. Quas ob cauſſas a Caeſaribus & Auguſtis Conſularem dignitatem omnino aſſumptam pro aris focisque tuetur: quamquam non diffiteatur aliis etiam de cauſſis ad Auguſtorum nempe arbitrium geſtos ab iis interdum Conſulatus, & viciſſim ut privatis eoſdem aliquando cederent, ab eo munere obeundo annis ſibi deſtinatis abſtinuiſſe. Sed quamvis annuus foret, quem ſuſcipiebant Auguſti Conſulatum, perpauci tamen per integrum annum eum geſſere, cum plerique poſt aliquot menſes aut dies eundem a ſe abdicatum aliis deferebant, adeo ut ſub Claudio (2) duodecim, ſub Commodo viginti, & quinque Conſules (3) Roma primum ſuſpexerit. Id autem ab ipſo Iulio Caeſare repetit Dio (4), qui Conſulatum quem abſens inierat, urbem ingreſſus creatis duobus aliis Conſulibus depoſuit; qua inde de cauſſa, nata *Ordinariorum & Suffectorum* Conſulum origo, ſtante olim Republica propemodum ignota. Et quamquam Auguſti ut plurimum *Ordinarii* Conſulis munere fungerentur, *Suffectum* tamen Conſulatum capeſſere haud dedignati ſunt (5). Sed quo aliud celebre Conſulum genus Auguſtorum tempeſtate receptum praetereo? Ii nempe fuere, qui *Honorarii* appellabantur, quod licet Conſula-

(1) Totus eſt Pagius in hiſce ſuis regulis ſtatuendis vindicandiſque non modo in Diſſ. Hypatica, in qua data opera rem conficere ſtudet, ſed etiam in Crit. in Bar. Annal. ubi oblata, aut capta ſaepius occaſione, Caeſareos Conſulatus ad illas revocare ſatagit. Fuere tamen & ſunt Cenſores nonnulli, qui aliquas ex illis, graviſſimis momentis urgent infirmantque, ut videre eſt apud Noriſ. in Epiſtola Conſulari, apud Murat. Annal. Ital. ubi variis in locis eaſdem carpit, alibique apud alios. Ceterum Pagius, omnia movet, ut Canones ſuos tueatur, uti in Crit. Bar. ad an. Chr. 84. 90. 95. 97. alibique. (2) Dio. Lib. 59. pag. 645 & Lib. 60. pag. 671. (3) Lampr. in Comm. Cap. 6. (4) Lib. 43. pag. 246. (5) Imperatores illos, qui *Suffectum* Conſulatum geſſere fuſe proſequitur, & oſtendit Pagius Differt. Hypat. P. I. Cap. 5. 6. 7. De quorum aliquibus *Suffectis* Conſulatibus adhuc nonnulli dubitant.

ſulatum numquam adepti eſſent, nihilominus ex Imperatorum indulgentia, & Conſulis nomine & conſularibus ornamentis donabantur. Qua propter quatuor veluti Conſulum genera ſub Auguſtis diſtinguenda occurrunt. *Deſignati:* ii nempe, qui anno ſuperiori ad Conſulatum renunciabantur (1). *Ordinarii*, qui ſcilicet Kal. Ian. eum Magiſtratum auſpicabantur. *Suffecti*, qui illis abdicantibus in reliquos anni menſes, ſeu menſis Dies ſubrogabantur. *Honorarii* demum, qui honorifica Conſulis appellatione, atque illius dignitatis ornamentis cohoneſtabantur. Profecto tanta ſub Auguſtis Conſulatuum frequentia, & tam multa Conſulum nomina in ſcriptoribus & monimentis illius aetatis, maximae perturbationis cauſſa in Faſtis, atque errorum incitamenta fuere. Vt haec igitur confuſio, qua licet via, declinetur, diſcutienda venit in praeſens, quae *Deſignatorum*, *Suffectorum*, *Honorariorum* Conſulum ratio habita fuerit in ſcriptoribus, nummis, & lapidibus. Illud ſane notum vulgatumque, Conſules illos cenſendos eſſe *Ordinarios*, qui in legibus, Faſtis, ſcriptoribus, monimentis abſolute ſignantur; ſed illud etiam animadverti debet, *Suffectos* nempe *&* *Deſignatos* Conſulatus interdum numeratos, interdum omiſſos fuiſſe. Quare notandum primo, quod ii, qui olim Conſulatum *Suffectum* geſſere, ſi deinceps *Ordinarii* Conſules proceſſiſſent, non COS. I. ſed COS. II. inſcribebantur. Sed mos iſte haud ſemper conſtans fuit, & circa Aureliani tempora aliter etiam factitatum fuit; nam Decius qui unum *Suffectum* & duos *Ordinarios* Conſulatus ſuſceperat, modo COS. II. modo COS. III. in inſcriptionibus notatur. Domitianus qui ſexies *Suffectus* Conſul fuerat, ut plurimum inſcribitur in monimentis COS. XVII. attamen Dio, atque aliqui nummi eos omnes haud memorant (2), uti in Chronico Alexandrino 14. tantum Domitiani Conſulatus leguntur. Id quoque de Conſulatibus *Deſignatis* dictum puta. Etenim *Deſignati* vox non raro in inſcriptionibus habetur, ut COS. II. DES. III. ſed quandoque praeterita fuit, ac Conſulatuum numerus abſolute, ideſt abſque deſignatione effertur, licet eo in numero *Deſignatus* aliquis Conſulatus deliteſcat. Itaque

(1) Hic etiam ſub Auguſtis mos obtinuit, ut Conſulum deſignatio quinquennio, & biennio ante fieret. Ita Caius & Lucius ab Auguſto, Nero a Claudio deſignatus fuit, ut Ancyranum monimentum apud Gruterum & Lipſium teſtatur, & Tacitus Ann. Lib. 2. quod de aliis etiam oſtendi poſſet. (2) Vid. Pag. Diſſ. Hyp. P. I. Cap. 7. & Noriſ. Diſſ. de Vot. Decenn. Cap. 6. & 7.

que apud Gruterum (1) Claudius inſcribitur: TRIB. POT. V. COS. IV. qui tamen Conſulatus abſolute expreſſus pro *Deſignato* haberi debet, cum in Claudii (2) *Reſcripto* ad Iudaeos eiuſdem anni nota ſignato, legatur: *Trib. Pot.* V. *Coſ.* IIII. *Deſignatus*. Eodem pacto explicari debet quartus Veſpaſiani, & ſecundus Titi Conſulatus a Plinio memoratus, iuxta Pagium (3), ubi de aliis Caeſaribus & Auguſtis idem oſtendit. Nulla vero habita fuit ratio *Honorariorum* Conſulum in Conſulatibus numerandis ad Severi uſque tempora. Is enim primus fuit teſte Dione (4), qui ut Plautiano ſibi amiciſſimo gratificaretur, ſtatuit, ut qui Conſularibus ornamentis fuerant inſigniti, ſi deinde Conſulatum inirent, Conſules II. nuncuparentur: apertiſſima ſunt Hiſtorici verba, qui de Caeſare Octaviano Q. Pedio Collega, Conſule ſuffecto creato loquens, ait: *Ac tametſi iam ante Conſularibus ornamentis decoratus fuerat*, nempe Octavianus, *non tamen hunc ſuum Conſulatum II. nuncupavit. Idque in ſimili re in omnibus deinceps uſque ad noſtra tempora obſervatum eſt. Primus enim omnium Severus Imperator, cum Plautiano honores Conſulares tribuiſſet, eumque deinde in Senatum adſcriptum, Conſulem faceret, iterum Conſulem eſſe dixit. Idque exemplum alii deinde ſequuti ſunt.* Quare ut omnia uno verbo complectar, Conſulatus *Ordinarii*, vel omnes enunciantur, vel omnes omittuntur, vel denique Imperator ſimpliciter, & ſine numerali nota *Conſul* dicitur; *Suffecti*, *&* *Deſignati* ſine lege quandoque praetermittuntur, quandoque indicantur. Nonnulla quae hac de re adhuc deſiderari poſſent, alio loco proſequemur (5).

IN-

(1) 39. num. 1. (2) Apud Pag. Diſſ. Hyp. Cap. I. (3) Loc. cit. & etiam Crit. Bar. ad ann. Chr. 74. 75. 97. 177. 221. alibique. (4) Lib. 46. (5) Cap. 5. Secundae Part. pag. 197.

INSTITVTIONVM AD ANTIQVITATIS STVDIVM

PARS ALTERA

IN QVA DE DIVERSIS LITTERARVM FORMIS,
VARIISQVE NVMERANDI RATIONIBVS,
ATQVE
OBSCVRIS LITTERARVM COMPENDIIS,
QVAE IN GRAECIS LATINISQVE MONVMENTIS
OBSERVANTVR, DISSERITVR.

CAPVT I.

De diverſis litterarum formis pro temporum varietate, in Graecis Latiniſque Monumentis adhibitis.

ALterum, poſt Chronologiam ad vetuſtatis memorias probe aſſequendas, praeſidium multo ſane neceſſarium illud haberi debet, quod diverſas formas illas, quas Graeciae litterae progreſſu temporis ſunt conſecutae, contemplatur, quodve varias numerandi rationes in Graecis monumentis inſcriptas inquirit, & implexa illa atque obſcura vocum compendia, quibus lapides nummique reſperſi conſpiciuntur, feliciter enodat atque explanat. Haec certe ea ſunt, quae niſi bene ſubacta habeantur, nedum Adoleſcentibus, ſed exerci-

tatis

tatis etiam viris negotium adeo faceſſere ſolent, ut non ſolum in intelligendis, verum etiam in perlegendis Antiquitatis reliquiis, eos turpiter remorentur. Poſtulat ergo inſtituti noſtri conſilium, ut provinciam hanc, qua nulla utilior in Antiquitatis ſtudio, compendiaria quaſi via perluſtremus. Quod ut in Adoleſcentium commodum, quibus praeſertim ſcribimus, maxime cadat, non ſolum utiliora proſequentes, obvia nimis minuſque uſitata omittemus, ſed certa a dubiis ſeiungemus, quae adhuc incomperta, vel non ſatis liquido explicata fuere adnotabimus, erroreſque, in quos ob nimiam rei difficultatem lapſi ſunt viri ceteroquin ſapientiſſimi, indicabimus. Ita enim fiet, ut ſi quando iuvenibus Antiquitatis elementa praetergreſſis, praeſtantiſſimorum hominum opera pervolutare libuerit, in quo ab illis peccatum in antiquis rebus interpretandis, quid praeclare dictum atque explicatum fuerit, minime ignorent. Cum enim in dies lux nova atque praeſidium ex emerſis monumentis huic ſtudio ſemper accedat, fieri vix poterat quin illorum ope multa, quae dubia & obſcura merito olim cenſebantur, in apertum lumen non collocarentur, quemadmodum multa, quae falſo aſſerta, vel perperam expoſita fuere, opportune non corrigerentur; quod in altera etiam operis parte ſubiectis exemplis non raro demonſtravimus. Itaque in hoc capite Graecarum litterarum mutationes conſequutis temporibus in monumentis invectas, ſeu Graecae Paleographiae elementa complectemur, cetera in aliis pone ſequentibus traditūri. Graecam Paleographiam, quae ortum progreſſumque Graecarum litterarum, & ea quae ad eandem ſcriptionem pertinent, comprehendit, omnium primus poſt ingentes labores in Graecis monumentis contemplandis aggreſſus eſt immortalis Montfauconius, & mirifice explevit. Novae vero huius ſcientiae abſolutam Epitomen viginti ab hinc annis edidit Placentinus. Verum cum in utroque ſapientiſſimo ſcriptore multa ſint, quae ab Inſtitutionibus hiſce noſtris prorſus aliena exiſtimamus, muneris noſtri erit tantummodo varias Graecarum litterarum formas inveſtigare, eaſque ſubiicere, prout in nummis, marmoreis aeneiſque tabulis, praeſertim Ionicis conſpiciuntur, Iones enim primi litteras a Phoeniciis dicuntur didiciſſe: eodem etiam tempore, ubi opus fuerit, nonnulla adiiciemus, quae ex noviſſimis Eruditorum curis & obſervationibus in

erutis

BIBLIOTECA
ROMA

erutis monumentis nuper innotuerunt. Nihil ergo de variis litterarum formis, quae in Codicibus conſpiciuntur, nihil de litteris figuratis & arcanis Alphabetis, nihil de voluminum forma, de inſtrumentis ad ſcribendum adhibitis, deque chartarum nominibus & generibus ſolliciti erimus, cum haec alterius prorſus loci & temporis cenſeamus. Cadmus itaque Agenoris ille Phoenicum regis filius, ut communis fert opinio (1), anno mundi 2526. Graecos adhuc obſcuros & illiteratos Phoenicias litteras docuit, quae ſexdecim numero fuere, nempe

ΑΒΓΔΕΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤΥ.

Palamedes vero circa Troiani belli tempora, ſeu Mundi annum 2695. has quatuor adiecit, ſcilicet ΘΞΦΧ; totidemque diu poſtea Simonides Melicus, videlicet (2) ΖΗΨΩ; quamvis non deſint, qui ab Epicharmo Syracuſano Θ, & Ψ effictas tradiderunt. Huiuſmodi litterae non ſemper conſtantem illam figuram in monumentis obtinuere, ſed pro varia temporum ratione, varias etiam formas ſortitae ſunt, quas in proxima tabula incidendas curavimus, & quas modo alphabetico ordine proſequemur.

A. Sic delineata eſt remotiſſimae antiquitatis & vulgaris uſus in nummis & marmoribus. Secunda pariter antiquiſſima eſt, & invenitur in inſcriptione (3) Sigea. Tertia antiqua itidem eſt, habeturque in columnis Herodis Attici (4), quae modo Far-

(1) Sunt enim, qui gloriam advectarum in Graeciam litterarum Lino Chalcidenſi adſcribant, & qui acriter pugnant litteras apud Graecos ante Cadmum fuiſſe. (2) Vulgo inventio litterae Z tribuitur Simonidi, & etiam a peritiſſimo Montfauconio in ſua Paleographia; ſed verius Palamedi eſt adſcribenda. Vide Chishullum Antiq. Aſiat. pag. 20. in eius animadverſionibus, ubi erroris cauſſam erudite detegit. (3) Spectatiſſimum eſt totius Aſiae monumentum, quo nihil vetuſtius adhuc vidit eruditus orbis, cum ad Oly. 50. illud referat Chishullus. Iacet illud inter Sigeum Promontorium, & amnis Scamandri campum ante fores cuiuſdam templi Chriſtianorum. Inſcriptionem hanc omnium primus exſcribendam curavit eruditiſſimus Anglus Guilielmus Scherard, eamdem vero abunde & egregie illuſtravit celebris ſcriptor Anglus Edmundus Chishullus, atque iterum de ea egit Dominicus Calabreſius-Fuſchinius in Epiſtola ad Salvatorem Vintimiglis. (4) Viri conſulari dignitate & omnigena eruditione percelebris, qui in ſuburbano ſuo, cum novas quas ſacraverat columnas, curioſius inſcriptas vellet, ſpreta aevi ſui, hoc eſt Antoniniani, ſcriptione, eas Graecis litteris obſoletis, & ex ultima antiquitate petitis inſcripſit. Epigraphen hanc publico litterarum bono horti Farneſiani ſervavere, & eamdem olim Salmaſius ſingulari tractatu explicavit, & Gruterus pag. 27. illam inſeruit.

neſianae appellantur. Quarta apparet in calce vetuſtae marmoreae Iconis Ariſtophanis Romae in Aedibus Maximianis, & in marmore Ancyrae poſito, ad portam *Keſaria* dictam, & alibi. Quinta in eximia inſcriptione pariter Ancyrana prope Eccleſiam Chriſtianorum eruta, & imperante Tiberio poſita. Sexta in nummo Aesillae ante rem Romanam cuſo (1). Septima in Deliaca inſcriptione (2). Octava in numiſmatibus Antiochorum, Arſacidarum, aliorumque Orientis regum, in quibus reliquae etiam litterae globulis ita diſtinctae obſervantur. Nona in marmore Diodori Papiae, non multis ab hinc annis Romae eruto, quod ad priora Auguſtorum ſaecula pertinere vulgo creditur. Decima in quadam inſcriptione Ancyrae poſita, ſecundo vertente ſaeculo, poſtquam Antoninus e vivis exceſſerat. Vndecima in nummo apud Gronovium, cui nomen Φαῦδα inſcriptum. Reliquae omnes in gemmis Baſilidianorum (3).

B. Prima & uſitata forma haec eſt. Secunda invenitur in marmore Baudelotiano (4) tempore Peloponneſiaci belli inſculpto. Tertia in Chyndonactis inſcriptionibus (5). Quarta in gem-

(1) Fatendum tamen varias de eo nummo, & inter ſe diſcrepantes opiniones circumferri. Etenim alii vocem illam *Aeſillas* latine fuiſſe ſcriptam affirmant, cum revera in eo nummo non ſolum L Latinum, ſed etiam S, expreſſum fuerit: alii contra dictam vocem & Graecam eſſe & vetuſtiſſimis characteribus exaratam contendunt, cum pro comperto habeatur eas litteras apud Graecos priſce obtinuiſſe. Haerent proinde Eruditi, neque ipſe Montfauconius ad alterutram partem accedere ſudet. (2) Deliacam inſcriptionem invenit, & accuratiſſime exſcripſit ex illo quadrato lapide, qui Coloſſum olim Apollineum in Delo ſuſtentaverat, Vir Cl. de Turnefort, dum Galliarum Regis iuſſu, & ſumptu Orientales Regiones peragravit. Eamdem vero publici iuris fecit in Itinerario ſuo Orientali Epiſtola ſeptima, & poſtea Montfauconius Paleog. Graec. lib. II. pag. 121. & Chishullus pag. 16. (3) Haeretici ſecundi Eccleſiae ſaeculi, ita a Baſilide eorum parente dicti. Inter cetera eorum deliria numerabant 365. virtutes, quibus totidem anni dies deſignabant. Harum virtutum plura nomina in ipſis Abraxaeis gemmis, nonnulli viri docti detexiſſe credunt. (4) Ita vulgo nuncupantur Inſcriptiones binae Athenis excitatae an. 3. Oly. 80. quod ex Caroli Caeſaris Baudelotii cimeliis, in Regiae Pariſienſis Academiae Muſeum commigrarint. Illarum argumentum, characterum ſpecimen, primoſque verſus Montfauconius ediderat Paleog. lib. II pag. 135. Integrum vero marmor Sponius in Miſcellaneis eruditae Antiquitatis Sect. X. num. 1. Omnium vero accuratiſſime illud expreſſit, & obſervationibus exornavit Maffeius, in Galliae Antiquitatibus pag. 88. (5) Inſcriptio Chyndonactis Sacerdotum principis olim in agro Divionenſi reperta, a nonnullis eruditis & praeſertim a Montfauconio adulterina cenſetur. Vide laudatum Auctorem in Recenſione Graec. Paleog.

gemmis Baſilidianorum. Quinta in inſcriptione prima Cryptoferratenſi apud Placentinum (1).

Γ. Haec forma perantiqua eſt, ſemperque in uſu fuit. Secunda eſt in marmore Sigeo & Baudelotiano. Tertia in Columnis Farneſianis habetur. Placentinus (2) obſervavit quod in quadam inſcriptione Athenienſi, ineunte Tiberii imperio & Druſo Conſule poſita, quaeque modo in Bibliotheca Colbertina aſſervatur, pro *x* poni videtur; etenim ibi E Γ, pro E K, legitur.

Δ. Talis eſt priſca forma, quae frequentioris eſt uſus. Secunda eſt in lapide Sigeo. Tertia vero, quae Ionica eſt, invenitur in marmore Farneſiano, & licet forma illa vetuſtiſſima ſit, raro tamen uſurpata obſervatur. Quarta in marmore apud Placentinum (3) tertio vel quarto ſaeculo erecto. Reliquae in inſcriptione Cryptoferratenſi apud eundem (4).

E. Sic antique ſcribebatur. Secunda forma in memorata Sigea & Deliaca inſcriptione occurrit. Tertia, quae in uno etiam Maronitarum nummo reperitur, invaluit ab exordio Romani Imperii, cum ante illud in nummis & marmoribus nuſquam obſervetur, ſed eo ineunte in nummis Iulii Caeſaris ſub Auguſto cuſis adhibita eſt, & in lapidibus Romanis ab Auguſto ad quartum uſque ſaeculum ſaepius offenditur, raro tamen forma illa quadrata & priſca, quamvis in Graecis marmoribus etiam poſt quartum ſaeculum vetus illa forma E interdum adhibeatur. Quarta, quae unico ductu effingitur, habetur in marmoribus Neapolitanis. Per hanc ſimplicem litteram E in vetuſtis lapidibus non ſolum H, ſed ipſa dipthongus *ει* exprimitur.

ϛ. *ἐπίσημον βαῦ Epiſemon Bau*, ita dictum à Phoenicio ו Vau, quod Graeci poſt E in ſuo Alphabeto locabant: porro non litterae, ſed ſenarii numeri vice fungebatur. Itaque prima forma eſt in antiquis nummis & marmoribus. Secunda aliquando apparet in inſcriptionibus Auguſtorum tempore. Tertia in numiſmatibus Gallieni, & Claudii Gothici, & nonnumquam in aliis eiuſdem circiter aevi. Quarta in marmore apud Gruterum (5). Quinta, quae Aeolicum digamma vocatur, alibi pro ſenario numero deſignando reperitur (6). Denique animadvertendum huiuſmodi characterem pro interpunctionis ſi-

 gno

(1) Epit. Graec. Paleog. Cap. 4. pag. 25. (2) Cap. 3. pag. 18. (3) Cap. 4 pag. 27. (4) Loc. cit. (5) Pag. 327. n. 1. & in Sicula agrorum terminatione apud eundem pag. 210. (6) Vide quae in ſequenti capite fuſius de hoc charactere exponuntur, ubi etiam marmora indicantur.

gno quandoque adhiberi, ut in inſcriptione apud Montfauconium (1).

Z. Haec prima forma paſſim in antiquis marmoribus & nummis conſpicitur. Secundam Ionicae inſcriptiones praeſeferunt, ac praeſertim marmor Cyzicenum, in quo ſemper tali figura eadem littera exaratur. Aliquando haec littera in marmoribus pro Σ poſita fuit, ut in lapide apud Placentinum (2).

H. Huiuſmodi forma pro aſpiratione tantum primum uſurpata fuit, ut liquet ex inſcriptione Sigea, aliiſque vetuſtiſſimis; ſed litterae nomen huic poſtmodum adhaeſit. Secunda, quae eſt E vulgare pro ἦτα adhibebatur antiquitus, ut videre eſt in Ionicis lapidibus. Tertia in Epitaphio Coſmiae quod Auguſtorum tempore inſculptum cenſetur. Quarta in memorata tabula marmorea Athenis eruta, & ſub Tiberio poſita.

Θ. Sic priſce exaratur. Secunda habetur in marmore Farneſiano Herodis Attici. Tertia, quae exiguo loci diſcrimine differt, in Sigea, & Deliaca inſcriptione. Quarta ſub Icone marmorea Theophraſti Romae aſſervata in Aedibus Maximianis, & etiam alibi. Quinta, quae vetus forma eſt, & non infrequens, invenitur in lapidibus Baudelotiano, & Cyziceno. Seſta in antiquis tabulis Siculis apud Gualtherium.

I, & K a priſca forma numquam inſigniter deflexerunt.

Λ. Haec prior forma in vetuſtis marmoribus paſſim occurrit. Secunda, quae antiquior eſt, prodit ex lapide Sigeo. Tertia apparet in inſcriptione Baudelotiana, & in quodam nummo Meſſanenſi (3). Quarta in altera Baudelotiana inſcriprione, & in marmore Herodis Attici, aliiſque lapidibus, & quandoque etiam in nummis, uti in nummo Aeſillae, de quo ſupra. Frequentiſſime eadem forma in numiſmatibus pro anno exprimendo uſurpatur, ut in prima Operis parte ſuo loco animadvertimus.

M. Haec & ſecunda forma vetuſtiſſima eſt, & in monimentis obvia. Tertia in Sigea inſcriptione conſpicitur. Quarta in marmoribus Ancyranis, aliiſque non paucis. Quinta in nummo Amintae primi huius nominis Macedonum regis. Sexta in nonnullis vetuſtis marmoribus. Septima in marmore primo Cryptoferratenſi, ſuperius memorato.

N. Prior huiuſmodi forma priſca eſt. Secunda item antiquiſſima,

(1) Paleog. pag. 174. (2) Cap. 4. pag. 28. (3) Hic nummus a Paruta in Sicilia ſua exhibetur, ibique Meſſana DANKLE nuncupatur, atque ex typi genere diu ante rem Romanam percuſſus creditur.

ſima, habeturque in marmore Sigeo. Tertia in Ionicis inſcriptionibus, aliiſque remotae antiquitatis. Quarta, quae rariſſima eſt, in nummo Amintae, qui in ſerie regum Macedoniae nonus a Carano cenſetur. Quinta in citata ſuperius Papiae Diodori inſcriptione.

Ξ. Talem formam poſt bellum Peloponneſiacum invectam autumant quamplurimi, annis ante Chriſtum circiter 450. cum primitus per ſecundam litteram nempe X, & Σ exprimeretur, ut videre eſt in marmore Baudelotiano, aliiſque vetuſtiſſimis. Tertia in aliquot lapidibus apud Gruterum (1). Quarta & quinta in aliis item marmoribus, & in nummis Antiochorum. Sexta in numiſmatibus & inſcriptionibus ſub Romano imperio, ſicuti etiam ſeptima, quae ſimul cum poſtrema in gemmis Baſilidianorum, alibique etiam locum obtinet. Duo hic adnotaſſe iuverit: primo hanc etiam formam ξ in vetuſtis monimentis adinveniri, ſed minus frequenter, quod flexus illi tam vagi difficile ſcalpro reddi poſſint; alterum eſt, litteram Ξ ita effictam ad Romanum imperium uſque in nummis & marmoribus cerni.

O. Gaudet haec figura remotiſſima antiquitate, cum priſce ſcriberetur etiam pro Ω, ut liquet ex inſcriptione Sigea, Farneſiana, & Baudelotiana. Vetuſtiſſima pariter eſt ſecunda, quam praefert nuper laudatus nummus Amintae regis, antiqua marmora, & paſsim gemmae Baſilidianorum. Tertia locum habet in Siculis Gualtheri tabulis, aliiſque lapidibus. Quarta, quae per punctum grandiuſculum efformatur, in nummis Philippi Macedonum regis. Quinta, & ſexta in gemmis Baſilidianorum. Praeterea hoc gramma in antiquiſsimis monumentis pro diphtongo *ου* poni conſuevit, quod nempe iis temporibus Graeci, nondum receptam characterum formam, communemque ſcribendi morem nunc uſitatum, haberent. Id videre eſt in Sandvicenſe (2) lapide, in marmorea Deliorum baſi ſuperius memorata, in Sigei lapidis initio, in Herodis Attici Co-

(1) Pag. 71. (2) Antiquiſſimum Athenienſium marmor, cui Sandvicenſe nomen factum, quod cura & liberalitate Sandvicenſis Comitis in Angliam translatum fuit. Eius exemplum in Batavis Eruditorum Diariis Nouvel. Bibliot. Tom. XVI. pag. 238. primum apparuit, deinde Taylorus erudito commentario eum illuſtravit, noviſſime vero illud protulit, & uberrimis obſervationibus proſecutus eſt Corſinus Not. Graec. Diſſert. 6.

Columnis, & in eximio Pariſienſi marmore (1), quamvis in hoc diphthongus *ου* quandoque occurrat, quod nimirum uterque characteris O; ſimulque diphthongi *ου* valor iis temporibus uſurparetur; & denique in antiquiſſima inſcriptione a (2) Plinio prolata, in qua legitur: NAVSIKRATES TISAMENO ATHNAIOS &c. qua inſcriptione probat Plinius veteres Graecas litteras fuiſſe eaſdem pene, quae nunc ſunt Latinae. Quare mirantur merito nonnulli, recentiores fere omnes Plinianas editiones, eamdem proferre inſcriptionem iis vulgaribus Graecis litteris expreſſam, quae diu poſtea inventae fuere. Haec eadem littera O, ſimul cum I una ſerie adſcripto, uſurpata eſt pro *ω* ſubſcripto dativi caſus in vocibus in *οι* deſinentibus, ut ſaepe in laudata inſcriptione Baudelotiana conſpicitur. Veruntamen dativus caſus per *ω* tantum plerumque ſcribitur in marmoribus.

II. Vtraque forma perantiqua eſt, & promiſcue in monimentis adhibita, ſed poſtrema vetuſtior eſt.

Ϙ. Ε'πίσημον κόππα *Epiſemon Coppa*. Huiuſmodi character pro *nonagenario* numero exprimendo a Graecis uſurpabatur. Primam formam, quae illius propria eſt, & in MSS. habetur, credit Corſinus reperiri in Creténſi marmore, quod ex ineditis Donii Schedis profert (3), & fortaſſe in alio lapide Neapolitano, quod ex Florentino Litteratorum Diario (4) iterum refert (5). Tres ſequentes in variis nummis ſaepe conſpiciuntur. Quinta quae Romanorum R iacenti ſimillima eſt, in Tiberii nummo obſervatur (6).

ϡ Ε'πίσημον σὰν πῖ *Epiſemon Sampi*. Haec nota *nongenta* ſignificat, ſed neque in nummis, neque in marmoribus viſitur, & formas quibus gaudet, vetuſta Manuſcripta tantummodo

(1) Pulcherrima inſcriptio & antiquiſſima, quae Athenis olim poſita tribus marmoreis tabulis, ſive marmoris unius fragmentis conſtabat, cum Sponius illam Athenis exſcripſit: nunc in regia Pariſienſi Inſcriptionum Academia duo tantum conſpiciuntur, quae Nointelius Athenis Lutetiam deferenda curavit. Montfauconius ſolam ipſius mentionem iniecit Paleog. Lib. II. pag. 135. Primam ipſius partem edidit Murat. Nov. Inſ. Theſ. pag. 878 num. 1. poſtremam vero, & erroribus inquinatam Sponius in Miſcell. Erud. Antiq. Claſs. X. num. 1. Integrum autem marmor Maffeius Gall. Antiq. Epiſt 19 & Corſinus Faſt. Att. Diſſert. IV. pag. 155 animadverſionibus illuſtratum. (2) Nat. Hiſt. Lib VII. cap 57. 58. (3) Not. Graec. Diſſert. 3. (4) Tom. IV. Part. 3. pag. 230. (5) Not. Graec. pag. 17. (6) Vide Noriſ. de Epoc. Syr. Mace. Diſſert. 3. cap. 6. pag. 153.

modo habent. Video apud Placentinum (1) aliam huius Epiſemi formam proferri, quam ex marmore Oxonienſi (2) eruiſſe credidit, quemadmodum Prideauxius eamdem notae figuram, quae in alio Oxonienſi marmore reperitur (3), pro nonagenario numero uſurpari poſſe affirmavit; ſed cum in utroque marmore charačteri illi convenire non poſsit ea vis, & poteſtas, quae a duobus hiſce praeclaris ſcriptoribus illi tribuitur, ut demonſtrat Corſinus (4), haec nova Epiſemi Sampi forma reiicitur (5).

Ρ. Talis forma vetus eſt adeo, ut etiam in Sigea inſcriptione ita efformetur, licet in ea ſemel triangulari capite exaretur. Secunda eſt in marmoribus Baudelotianis. Tertia in Columnis Farneſianis. Quarta in Deliaca inſcriptione ſaepius laudata. Quinta in inſcriptione Athenienſi nunc Colbertina ſub Tiberio poſita, in qua haec littera ſemicirculum ſemper habet in medio lineae, quod alibi numquam fere obſervatum. Sexta in gemmis Baſilidianorum. Septima, quae parum ab ea diſtat, in quodam marmore.

Σ. Sic paſsim in nummis & lapidibus efformatur. Sequentes duas formas habet inſcriptio Sigea. Quarta occurrit in marmore Baudelotiano & Farneſiano. Quinta in aliis marmoribus & nummis pervetuſtis. Sexta in Deliaca inſcriptione, & etiam in Sigea, & in nummo Aeſillae, alibique. Septima frequenter in marmoribus ab initio Auguſtorum, & Caeſarum. Octava, ſeu ſigma rotundum, frequentiſsime in inſcriptionibus ab exitu primi Auguſtorum ſaeculi.

Τ. Antiqua haec communiſque forma, exiguam in MSS. nullam vero in monumentis varietatem admiſit.

Υ. Vulgaris haec forma fuit, non tamen prae ceteris antiquiſsima. Secunda viſitur in lapide Sigeo. Tertia in ſingulari illo nummo Amyntae regis a Montfauconio edito. Quarta in marmore Andocidis & Ariſtophanis Romae, itemque in quadam Ancyrana inſcriptione, quae ſub primis Auguſtis poſita videtur. Quinta in perantiquo Byzantino nummo apud Montfauconium, & in gemmis Baſilidianorum. Sexta in epitaphio Diodori Papiae. Septima in Chyndonactis inſcriptione. Poſtrema in ſecunda Cryptoferratenſi inſcriptione apud Placentinum (6).

Φ. Huiuſmodi forma priſci eſt uſus, quemadmodum ſecunda, cum

(1) Paleog. cap. 15. pag. 107. (2) Pag. 70. num. 3. (3) Pag. 93. (4) Not. Graec. Proleg. pag. 30. & in notis pag. 27. (5) Conſule quae de his duobus memoratis charačteribus in ſequenti capite uberius proferuntur. (6) Cap. 4.

cum quadratae litterae a veteribus ſummopere frequentarentur. Tertia cernitur in inſcriptione Nymphodori Romae in Aedibus Maffeianis, & etiam alibi. Quarta in marmore Inſulae Syro, referente Turnefortio in Itinerario ſuo Quinta in gemmis Baſilidianorum. Sexta in lapide Cryptoferratenſi apud Placentinum (1). Septima, in cuius medio eſt punctum, in nummo apud Gronovium cui nomen Φαίδα ſupra citato. Saepe character iſte in Graecis & Latinis marmoribus interpunctionis vices gerit (2).

X. Primaeva forma huius litterae quatuor rectis angulis coibat, prout effingitur in ſecunda figura, id teſtante Sigeo & Herodiano lapide. In ceteris nihil fere receſsit a prima forma. Scio Montfauconium aliter de ſecunda figura ad inſtar crucis, quae reperitur in Herodiano marmore commentari (3); nempe ea cruce non litteram χ, ſed praepoſitionem κατὰ deſignari, proindeque legit κατὰχθονίων. Verumtamen legendum χθονίων abunde probat Chishullus (4).

Ψ. Veterem figuram fere ſemper ſervavit, a qua paululum receſsit in gemmis Baſilidianorum, ubi apparet ſecunda. Vetuſtiſsima monumenta ea littera omnino carent, ſed illius vis & poteſtas per aſpiratam litteram Φ cum Σ coniunctam in illis exprimitur. Sic in Baudelotiano lapide toties memorato, legitur: ΟΦΣΙΑΔΕΣ pro ΟΨΙΑΔΕΣ. Huiuſmodi character, ſed minori forma ψ, aliquando in marmoribus interpunctionis inſtar occurrit; ut in Emeritano lapide apud Gruterum (5) legitur: DψMψS. iterumque in eodem ipſo lapide quatuordecim vicibus aliis reperitur (6).

Ω. Ante Chriſtum annis circiter 450. huiuſmodi forma in monumentis recepta eſt, prius enim per ſecundam figuram, ſive O ſimpliciter effingebatur, ut ſuperius indicavimus. Tertia in Nymphodori inſcriptione pingitur. Quarta in tabulis Siculis Gualtheri. Quinta in marmoribus Oxonienſibus in inſcriptione, quae Adriani tempore poſita eſt. Duae ſequentes in nonnullis lapidibus ſub Imperio Romano ſuſcitatis. Octava paſsim in nummis & marmoribus ab imperio Auguſti. Poſtrema in Chyndonactis inſcriptione. Verum non abs re futurum puto, ſi pauca adhuc de hac figura ω clarius ſubiiciam. Ea itaque forma, idem dictum

(1) Loco cit. (2) Vide Gruterum pag. 355. num. 3. (3) Paleog. Lib. II. cap. 4 (4) Antiq Aſiat. pag. 12 (5) Pag. 591. num. 7. (6) Vide Reineſium in Praefatione, & in Claſſ. IX. num. 6.

dictum volo de h.s litterarum figuris Є, & C ante Auguſtorum tempora nuſquam ſe ſe prodit in nummis, & marmoribus, ſed ab exordio Romani imperii forma illa obſervatur in numiſmatibus Iulii Caeſaris ſub Auguſto percuſsis, & in iis praeſertim quae Smyrnae cuſa fuere. Id autem intelligi debet de aliis Occidentis partibus, ubi ineunte Romano imperio ea nova forma recepta, admodum frequentabatur. At vetuſtior illa Ω, idem intellige de antiquis his figuris E & Σ, rarius obſervatur, ac citius obſolevit. In Oriente vero ab initio item Romani imperii eadem forma ω uſurpata fuit, ſed rarius ſub Auguſto: poſtea vero ad finem uſque tertii ſaeculi vetus & nova ita paſsim adhibita eſt, ut ſaepe eadem inſcriptio utramque praeſeferat; viderturque quod vetus illa forma in Oriente ad quartum, & forte ad quintum uſque ſaeculum in marmoreis, aeneiſque tabulis locum continuerit. Porro non ſolum litterae, ſed diphthongi etiam nonnullae in nummis & marmoribus a communi forma aliquantulum receſsiſſe videntur. Veruntamen pauca de illis monenda ſuperſunt, cum ſuperius ſuis locis nonnulla protulimus. Diximus enim in antiquiſsimis monumentis diphthongum *ου* per ſimplicem O, diphthongum *ει* per ſimplicem E exponi. Subiiciam modo poſtremam hanc diphthongum pro *ῇ* aliquando poſitam fuiſſe, ut in marmore Bibliothecae Venetae S. Marci, ubi ΤΕΙ ΒΟΥΛΕΙ pro *τῇ βουλῇ* ſcribitur; alteram vero in inſcriptionibus tertii ſaeculi ſaepiſsime ſic immutatam nexuque expreſſam Ȣ inveniri; antiquius tamen illius exemplum, quod a Scaligero profertur (1) ad M. Aurelii Antonini tempora refertur, qui anno Chr. 161. imperium obtinuit. Poſtremo loci opportunitas materiaeque affinitas poſtulat, ut pauca etiam attingam de illa ſcribendi ratione, quae in nobiliſsima inſcriptione Ancyrae eruta, & ſuperius a nobis memorata conſpicitur. In ea itaque eſt N̸ pro ΝΓ, itemque ΓΡ pro ΠΡ, ſic ⊦Є pro Καὶ; ΝΕ pro ΝΕ; Δ pro ΔΑ; ⓒ pro ΟC; ΝΤ pro ΝΤ; & ⓝ pro ΟΝ. Haec autem contracta ſcribendi forma in aliis etiam marmoribus, licet rariſsime viſitur, ut in eximio illo marmore a Corſino illuſtrato (2). Eamdem quandoque aemulati ſunt etiam Latini, ſed raro in lapidibus, frequentius in nummis, ſpatii credo anguſtia impulſi, ut videre eſt in Romanis Vrſini familiis per nummos demonſtratis. Poſt Graecam

S Pa-

(1) Ad Chron. Euſeb. pag. 107. (2) Not. Graec. Diſſert. V.

Paleographiam, nonnulla etiam de Latina adiicienda forent. Sed ea & pauca ſunt, & obvia ſatis. Quem enim fugit, niſi quem tota Latinorum antiquitas fugit, Latinos C per K, ut *Kariſſimus*, & I per V, ut *Simillumus* ſaepe in monumentis reddidiſſe? E, & I, ut cognatae vocales ſunt, ita olim permutatae aliquando, & etiam in diverſos uſus diphthongorum more coniunctae; ut Piſis in Caii Caeſaris cenotaphio: VLTRA FINIS EXTREMAS, & in veteri tabula apud Gruterum (1) GENVATEIS. I plurales non raro per EI ſcribuntur, ut DE TVSCIEIS; ſingulari etiam numero, PARENTIS SVEI (2). Vt concurſus V gemini declinaretur, alterutrum quod vocale eſt, mutatum in O legimus in lapidibus apud Gruterum (3), ut FLOVIVM & CONFLVONT. Eadem littera V Claudio imperante per Aeolicum digamma, quod per inverſam litteram Ⅎ exprimebatur, reddita eſt, ut in inſcriptione ſub eodem Principe erecta habetur apud Gruterum (4): DIℲI CAESARIS. item XVℲIR & VIIℲIR. Sed hoc digamma Claudio extincto oblitteratum. Diphthongum AE per AI Graecorum more antiqua monumenta quandoque praeſeferunt, ut in denariis: AILIVS, AIMILIVS, quem archaiſmum raro poſteriores aemulati ſunt, ut in Claudii inſcriptione Gruteriana (5), in qua habetur. Variantur etiam nonnullae conſonantes in monumentis, ut C pro G quemadmodum in vetuſta Duilii columna legitur: LECIONES. V pro B, ut ACERVVM FATVM, & viciſſim B loco V, ut BIXIT. Sed haec, & alia quae iis addi poſſent, ubique librorum habentur, ideoque tanti non ſunt, ut in iis perquirendis diutius immoremur.

CAPVT II.

De variis numerandi rationibus in Graecis monumentis uſurpatis, & de variis illarum notis.

QVemadmodum variis vocum compendiis Antiquitatis monumenta reſperſa conſpiciuntur, ita diverſis numeralium notarum ſignis paſſim abundant. Et eadem certe ratio, quae in cauſſa fuit, ut olim integrae vocis loco vel character unus, vel

(1) Pag. 204. (2) Apud Grut. pag. 296. & 506. & ſeq. (3) Pag. 204. (4) Pag. 236. num. 9. (5) Pag. 194.

vel pauciores litterae collocarentur, in cauſſa quoque eſſe debuit, ut numeri etiam brevibus quibuſdam notis exprimerentur; niſi illorum ſententia nobis magis arrideat, qui numerorum characteres longe prius ab hominibus inventos, & uſurpatos exiſtimant, quam ſcribendarum vocum uſus inciperet, cum ipſa hominum ſocietas ab ipſis fere mundi incunabulis inſtituta, mutuam rerum permutationem atque contractus peragere, ſine numerorum ope vix poſſet. Sed haec alii ſubtilius inquirant. Itaque licet apud Graecos, quemadmodum apud omnes ferme gentes perſpicuae quaedam Arithmeticae notae ſemper exciterint, quae nummis & aereis marmoreiſque tabulis inſcriberentur, non eadem tamen numerandi methodus & ordo, variis ſubinde temporibus in ipſis Graecis memoriis ſemper adhaeſit. Quare tres veluti in claſſes variam numeros deſignandi rationem eſſe diſtinguendam, monumenta ipſa commonſtrant. Has igitur modo complectemur, ſubiectiſque nummorum & lapidum exemplis ita explanabimus, ut in iis perlegendis explicandiſque ſtudioſi Antiquitatis cultores turpiter haerere non debeant. Et quamquam non defuerint qui de Graecorum numeris eorumque ſiglis pertractaverint, cum tamen labor hic noſter antiquarum rerum ſtudioſos potiſſimum ſpectet, multa hic de numeris in lapidibus & nummis expreſſis expenduntur, quae in Grammaticis ad alia properantibus deſiderantur, quemadmodum multa omittimus, quod obvia facile in aliis auctoribus habeantur. Primam itaque numerandi methodum, quae antiquior cenſetur, ſubiecta ſeries oſtendit.

I *unum*.	H *centum*.
Π *quinque*.	ꟾHꟾ *quingenta*.
Δ *decem*.	X *mille*.
ꟾΔꟾ *quinquaginta*.	ꟾXꟾ *quinque millia*.

M *decem millia*.

Huiuſmodi numerorum ſymbola, quamvis prae ceteris vetuſtiſſima exiſtimentur, numquam tamen ante Olymp. C. occurrunt, primumque illarum exemplum Sandvicenſe marmor prodit (1), quod proinde veluti antiquius numeralium notarum ſpecimen ſuſpiciendum eſt. Huic proxime deinde marmoreum Oxonienſe Chronicon accedit, in quo rerum geſtarum tempora & nobiliores Graecorum Epochae deſignantur, iiſdemque

S 2 pror-

(1) Vide quae de hoc marmore in ſuperiori Capite adnotavimus, & conſule quae Corſinus habet Not. Graec. Diſſ. 6.

prorſus numeralibus notis, quae in Sandvicenſi reperiuntur. Eadem numerandi methodus adhibetur in alio nunc Oxonienſi, olim Smyrnenſi marmore (1), in quo publicae privataeque pecuniae rationes, modo nuper expoſito, ſubducuntur. Valor vero & poteſtas, quae numeralibus hiſce notis tributa conſpicitur, eadem prorſus, quae apud recentiores etiam Graecos ſcriptores adhibetur, apparet. Vnde vero ipſarum origo & valor profluxerit, ſi Grammaticorum teſtimonia conſulamus, erudimur huiuſmodi numeralium characterum vim & poteſtatem, ex initiali vocis illius littera eſſe repetendam, qua numerus ipſe a Graecis indicatur. Quapropter quod a Graecis *una* ἴα (2), numerus quinquenarius Πέντε, decennarius Δέκα vocaretur, initialis littera ι pro ἴα, *una* Π pro Πέντε *quinque*, Δ pro Δέκα *decem*, uſurpata fuit. Eademque ratione quod Ἑκατὸν (3) *centum*, Χίλια *mille* a Graecis diceretur, character H numerum centenarium, & X millenarium deſignabat. Vt denique brevitati ſimul & concinnitati proſpiceretur, pro quinque Δ, compoſitus character alius, nempe |Δ| inventus eſt, quemadmodum pro quinque H, character |H|; pro quinque X, character |X| excogitatus fuit; perinde quaſi exteriores illi characteres Π, H, X, exprimerent characteres alios ſibi inſcriptos quinquies eſſe intelligendos, idemque foret aut |Δ|, aut Πεντάκις δέκα *quinquies decem*, aut *quinquaginta* dicere. Sed haec tanti non ſunt, ut probabilius ſuſpicari non liceat characteres illos ex rudiori potius nativaque ratione derivaſſe, ut de numeralibus Latinorum notis a doctiſſimis viris aſſeritur, praeſertim cum a littera Δ non modo δέκα, ſed etiam δύο initium ducat, & vox Ἑκατὸν non ab H, quae ſolum Olymp. 94. recepta fuit, ſed ab E exordiatur, a qua ſimiliter aliae numerales voces incipiunt. Denique cui coniicere non liceat numerorum ſigna prius apud Graecos extitiſſe, quam vulgatae Cadmi litterae, vocumque elementa invecta fuerint? Altera numerorum deſignandorum methodus in tres claſſes 24. Alphabeti litteras ita diſtribuit, ut priores quidem octo ſimplicibus numeris, nempe *Vnitatibus*,

octo

(1) In Oxon. Mar. Append. Num. XIII. pag. 29. de quo vide quae diſſerit Corſ. loc. cit. (2) Ita ab Homero pro μία *una*, vox illa ſumitur, ſed in nullis proſae ſcriptoribus occurrit, ut merito a Poetis ſolum adhibita cenſeatur. (3) Huic voci aſpiratio, ſeu aſper ſpiritus praefigebatur, qui olim charactere H denotari conſueverat, ut ex Sigeo, Delio, & Baudelotiano marmore oſtenditur.

octo mediae *Decadibus*, octo poſtremae *Centenariis* numeris efferendis inſerviant. In prima harum ſerie character Ϛ, ſive ἐπίσημον βαῦ *epiſemon bau* ſexto loco collocatur; in ſecunda character Ϙ, vel ἐπίσημον κόππα *epiſemon coppa* pro nonageſimo numero inſeritur; in tertia vero nota ϡ, ſive Ϡ ἐπίσημον σὰν πῖ *epiſemon ſampi* pro nongentis adiicitur (1). Hi tres characteres, quos ad numeros indicandos Graeca marmora ſaepe uſurpant, nuſquam alibi quam in numerorum ſerie locum habent, eoſque neque litteras, neque ſiglas, ſed notas aut ſigna quaedam probe dixeris. Itaque in hac ſupputandi ratione litterae ipſae & epiſemata ea poteſtate donantur, quae in hac ſerie exhibetur.

I			II			III		
Α	α	1	Ι	ι	10	Ρ	ρ	100
Β	β	2	Κ	κ	20	Σ	σ	200
Γ	γ	3	Λ	λ	30	Τ	τ	300
Δ	δ	4	Μ	μ	40	Υ	υ	400
Ε	ε	5	Ν	ν	50	Φ	φ	500
Ϛ	ϛ	6	Ξ	ξ	60	Χ	χ	600
Ζ	ζ	7	Ο	ο	70	Ψ	ψ	700
Η	η	8	Π	π	80	Ω	ω	800
Θ	θ	9	Ϙ	ϙ	90	Ϡ	ϡ	900

Latinorum more in hac numerandi ſerie millenarii numeri exprimuntur. Etenim illi tranſverſa lineola ſuper numerales notas inducta, *millia* explicant, ut V̄ *quinque millia*, X̄ *decem millia* ſignificat. Eodem forme modo Graecorum characteres *millenarii* fiunt, ſi aut ſuperne tranſverſa linea, aut inferne lineola, accentus acuti inſtar, appicta fuerit, ut ͵α *mille*, ͵ι *decem mille*; ͵ρ *centum mille*. Eandem etiam millenarii numeri poteſtatem Graeci characteres habent, ſi non inferne, ſed dextro lateri lineola oblique adiecta fuerit, nempe ͵Ε *quinque millia* notat, ut marmorum exempla quamplurima liquido monſtrant. Dolendum hic vero certam hanc numerandi formam frequenter quadratarii, exſcriptoris, aut typographi vitio adeo perturbatam fuiſſe, ut ſaepe lineolae illae in monimentis omiſſae, litterarum valorem perobſcurum, incertumque effecerint, aut

(1) Vide quae in capite ſuperiori de his notis attigimus.

aut impolite efformatae temere in alium characterem converſae fuerint. Certe in Gruteriano lapide [1] pro ⋇ ΛΒΦ, reſcribi debet X. ,Β ·Φ· *denarii bis mille quingenti*, ut monuit & reddidit Cl. Gorius [2]. In Sponii marmore [3] idem prorſus habetur, qui proinde corrigendus, ut in Gruteriano Gorius emendavit; ſicuti in Smyrnenſi lapide, in quo depravate legitur X Æ, optime reſcripſit Corſinus [4] X ,E *denariorum quinque millia*. Tempus quo celebris haec numerandi ratio a Graecis recepta fuit, nondum certo innotuit. Contendit quidem Scaliger [5] de Ionico Alphabeto diſſerens, eamdem circa Olymp. 89. ſeu Ariſtophanis aetate invaluiſſe; ſed cum ea tempeſtate nondum Graeci 24. litterarum ſerie, ſed ſexdecim Cadmaeis litteris uterentur, ſerius in more poſitam fuiſſe uberrime oſtendit Corſinus [6]. Hoc certe affirmari poteſt, hanc notarum formam temporibus mox inſecutis frequentiſſime in Graecorum marmoribus obſervari [7]. Sic in Adulitano Ptolemaei Evergetis monumento apud Chiſhullum [8] legitur: ΕΤΕΙ ΤΗΣ ΕΜΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΚΖ. *anno mei regni* XXVII. ubi Cl. Auctor viceſimum ſeptimum ipſius imperii annum deſignari animadvertit. Atque iuxta eamdem numerandi methodum explicari debent numerales notae, quas aliter verterunt nonnulli, in duobus aliis Sponianis marmoribus [9], in quorum primo, eoque Athenienſi, circa Olymp. CCV. ſculpto, habetur: Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ̄; ibique character X non *mille* ut Sponius, Fabrettus, aliique exiſtimarunt, ſed *ſexcentos* notat. Non ſecus ac in marmore Meſſenae poſito, ubi ſcribitur: ΕΤΟΥC. Ρ. Ν. Ζ. & quo Reineſius [10] ingenioſe coniecit annum V. C. 764. in Meſſeniaca, vel potius Achaica [11] Epocha deſignari, ſym-

(1) Pag. 749. num. 4. (2) Inſcript. Ant. Part. I. num. 26. pag. 297 (3) Miſcell. Erud. Ant. Sect. X. n. 28. pag 331. (4) Not. Grec. pag. 3. (5) Ad Euſeb. Chron. pag. 108. (6) Not. Graec. Prol. pag. XXVI. (7) Vt apud Sponium Pop. Attic. pag. 199. Apud Cyriacum pag. 13. num. 96. Et apud Murat. pag. 571. num. 1. Itemque in Oxonienſi marmore XV. pag 83. ubi exaratur ΕΤΟΥΣ ΚΓ. *anno* XXIII. Atque in tribus inſequentibus lapidibus, qui denariorum, vel pecuniae recenſionem continent, ſaepe characteres iſti Ρ. Σ. Ν. Ξ. ad marmoris latera, veluti numerales notae reperiuntur. Quemadmodum in marmore LXXX. pag. 131. ſaepius Ρ, ac ſemel ΡΝ, tamquam numerorum characteres in memorata hypotheſi explicandi, obſervantur. (8) Antiq. Aſiat. pag. 78. (9) Itiner. pag. 35 & Pop. Attic. pag. 199. (10) Claſſ. V. num. 52. pag. 388. (11) Conſule quae de hac Epocha cap. 7. primae partis tradidimus.

ſymbola illa numerorum ita verti debent 157. per eam de qua eſt ſermo ſupputandi rationem. Quod vero ad tria epiſemata Alphabeti litteris adiecta, & notarum inſtar adhibita, ſpectat, ſciendum *Epiſemon Bau* fruſtra in antiquioribus monimentis inquiri; primo in Claudii, tum Domitiani, mox Traiani, & Hadriani nummis obſervari. Nullum vero ex marmoribus, quibus illud inſcriptum fuit, antiquius fortaſſe invenitur Veſpaſiani lapide apud Sponium (1), qui anno Chriſti 75. poſitus fuit. Proximo tamen ſaeculo haec ſenarii nota frequentius in marmoribus exarata conſpicitur (2), ſed quandoque a priſca forma recedit, ut ſuo loco in ſuperiori capite expoſuimus, & quandoque pro interpunctionis ſigno haberi debet, ut apud Montfauconium (3). Quin etiam haec Graeca ſenarii nota in Latinis

(1) Itin. pag. 124. (2) Ita in Oxon. Mar. num. 3. pag. 70. quod Commodi temporibus erectum videtur, ſenarium victoriarum numerum exprimit, quas C. Antonius Septimius Cytharoedus in Olympiis Smyrnae ludis reportavit. Et occurrit apud Gruterum pag. 191. num. 10. & pag. 136. num. 8. Apud Gorium Inſcript. Ant. Par. III. pag. 314. num. 4. & Murat. pag. 370. num. 3. Et Sponium Itin. pag. 101. ſed hoc loco *ſex millia* ſignificat, ut in ſequenti animadverſione monebimus. (3) Paleog. pag. 174. Duo hoc loco diſſimulari non debent: primo quod loco ſenarii numeri, ſive Epiſemi Bau, habent nonnulla marmora characterem C, qui interdum *ſex* ſignificat. Vide Scaligerum ad Chron. Euſeb pag. 105. & Murat. pag. 126. num. 7. licet aliquando idem character C *ducenta*, aliquando *ſex millia* deſignet, ut apud Gruterum pag. 314. num. 1. Vide Corſinum Diſſert. Agon. pag. 20 ſicuti hoc idem Epiſemon Bau, quod plerumque *ſex* ſolum ſignificat, *ſex millibus* exprimendis quandoque adhiberi conſuevit, ut apud Sponium Itin. pag. 101. & apud Placentinum Paleog pag. 33. & Murat. pag. 268. num. 3. ΕΤΟΥΣ ϛ̄Ω̄ ΜΒ. *anno* Mundi 6842. ideſt Chriſti 1334. Secundo praeteriri non debet quod idem character ϛ ſequioribus praeſertim temporibus adeo inconditis noviſque formis exaratus fuit, ut maxima proinde perplexitas in eruendis annorum numeris ſit futura, niſi characterum illorum vis & poteſtas explorata, & nitide conſtituta iam fuerit. Iuverit exempla ſubiicere: apud Spon. Itin. pag. 101. in fine marmoris nuper a nobis citati, quod Baſilii & Conſtantini temporibus poſitum fuit, habetur hic annorum numerus ΚΦΚΑ, quem veluti inexplicabilem omiſit Sponius. At Montfauconius Paleog. pag. 147. feliciter eſſe reſcribendum obſervavit ϛΦΚΑ, ut annus Mundi 6521. ſive Chriſti 1013. prodiret, quo Baſilius II. eiuſque frater Conſtantinus VIII. imperabant. In alio marmore, ſub Manuele Comneni & Irenes filio excitatum, legitur: ΗΝ ΕΤΕΙ ΦΧΟΒΜΒ; id ob nimiam obſcuritatem inexplicatum relinquerat Sponius, quod tamen Montfauconius optime reſtituit ϛΧΟΒ ΙΝ ΙΒ. *anno* Mundi 6672. ſive Chriſti 1164. *indictione* XII. quod nempe eo anno eademque indictione viceſimus Manuelis imperii annus ageretur. Quin Corſinus Not. Graec. Diſ-

nis quoque marmoribus reperitur, ut apud Muratorium (1): *vixit annos* ϛII. *menſes* ϛII. *dies* XϛIII. *obiit* ϛIII. *Kal. Auguſtas Indict.* ϛIII. Quemadmodum numerales Latinorum notae in Graecis etiam marmoribus conſpiciuntur, ut apud (2) Muratorium legitur XL. pro quadraginta, & alia huius generis exempla nos quoque in altera operis parte attulimus (3). Poſtremo de hac recenſita numerandi ratione plurimum refert animadvertere, quod ubi plures hae numerorum notae ſimul efferri debuerunt, ita quandoque diſpoſitae ſunt, ut in ſcribendo minores maioribus praeponantur, adeoque inverſa ſerie ordineque retrogrado legi debeant. Quare cum in Palmyreno marmore exaretur ΕΤΟΥΣ ΔΝ Φ, *annum* 554. deducit Corſinus (4). Interdum vero idem notarum ordo alternare obſervatur, ut apud Gruterum (5) habetur: ΕΙΣ ΤΟ ΚϹ & ΚΑΙ ΗΚL *in* XXVI. *&* XXVIII. *annum*, ubi littera L. annum ſignificat, atque eadem numeralis nota K, modo primo, modo ſecundo loco collocatur. Alio etiam modo haec numerorum ſeries pertu bata apud Gualtherium conſpicitur (6), ubi legitur: ΤΑΙ ΠΟΔΩΝ *tercentorum undecim pedum*, ut a prima ad ultimam, mox ad intermediam litteram legendo, ſit progrediendum. Ad ultimam tandem, eamque certe elegantiorem numeralium notarum claſſem deſcendo. Ab hac ſuperiora illa Epiſemata prorſus eliminantur, & quaelibet ex 24. Alphabeti litteris, numerum & valorem illum exprimit, quem in ipſo Alphabeti ordine ſortitur. Quamvis huiuſmodi numerandi methodus inventa merito cenſeatur ante Ariſtarchi aetatem, qui circa Olymp. CL. floruit, & integram Homeri Iliadem, itidemque Odyſſeam in 24. libros dirempſit, quorum quilibet ab una Alphabeti littera nomen ac numerum haberet, iuxta notiſſimum eiuſdem Alphabeti ordinem,

Diſſert. 3. pag. LIV. ſub incude iterum reddidit marmor aliud a Seldeno pag. 56. inter Oxonienſia marmora relatum, in quo eae annorum notae habentur ꓘωΛΓ, quas vertit *anno* Mundi 6833. quod prior illa nota ꓘ *ſex mille* ſignificet, ſive quod in Epiſemon Bau refringi debeat, ſive quod haec etiam nota ſuperiori aetate loco ipſius ϛ, ſive C invecta fuerit; ſicuti character ipſe rite poſitis K *ſex mille* in Sponiano memorato marmore ſignificat. Sed facilius haec ſub oculis haberi poterunt, ſi conſulantur numerales monimentorum ſiglae, quae ex marmoribus & nummis exculptae ad calcem huius capitis adiecimus... (1) Pag. 422. num. 3. & iterum pag. 398. num. 4. ſicuti apud Gorium Par. I. pag. 168. num. 134. (2) Pag 1879 num. 4. & ſaepius pag. 798. num. 5. alibique. (3) Cap. 7. (4) Not. Graec. Prol. pag. XXX. (5) Pag. 210. (6) Tabul. Sicul. pag. 15. num. 107.

dinem; moneo tamen quod in Graecis monumentis, longe ſerius recepta fuerit, cum marmora, in quibus N *tredecim*, T *viginti*, Ω *viginti quatuor* denotat, ad ſequiora ſolum tempora merito referant Eruditi. Atque hactenus quantum Operis noſtri brevitas poſtulabat, de numeralibus notis diſſeruimus. Conſulto enim informes alias, inconditas & inſuetas notarum ſpecies omittimus, quae in recentioribus praeſertim titulis obſervantur, neque ad aliquam ex communibus perſpectiſque notis claſſem referri poſſunt, ideoque non aliunde, quam a ſcalptorum oſcitantia, exſcriptorum incuria, vel ſaeculi barbarie exoticam hanc faciem obtinuerunt. Vt vero in legendis explorandiſque vetuſtis monimentis, poſſint Adoleſcentes ubi nota quaedam inſcripta invenitur, facilius deprehendere ad quaenam numeralium notarum genera, illa referatur, eiuſque valorem protinus aſſequi, operae pretium duximus hic eorum numerorum characteres & ſigna ſubiicere, quae a peritiſſimis viris, praeſertim Maffeio & Corſino e monumentis exculpta fuere, addita non ſolum Graeca illorum interpretatione, ſed noſtra inſuper Latina verſione. Hac etiam ope poterunt ulterius ſtudioſi iuvenes facili negotio perſpicere, quae numerorum ſigna a ſcriptoribus aliquantulum depravata exhibeantur, quae alienis interpretationibus expoſita, & quae adhuc dubia exiſtimari debent.

A. *Εἷς, μία, ἓν unus, una, unum*. Apud Fabr. Inſcrip. Antiq. pag. 161. num. 292. & Reineſius Syntag. Inſcript. Antiq. Claſſ. II. pag. 288. num. 59. & Murat. pag. 1165. num. 10. & pag. 1704. num. 7. quo tamen loco Hagenbuchius in Diatriba de Graecis Theſauri novi Muratoriani marmoribus &c. ſublata numerali nota legendum exiſtimat. Idem marmor, ſed depravatum prorſus habes in Gruter. pag. 672. num. 13.

A. Πρῶτος *primus*. Apud Spon. Pop. Attic. pag. 77. & Grut. pag. 314. num. 2.

Ā. Τὸ *πρῶτον primo, prima vice*. Apud Grut. pag. 1052. n. 6.

Ā. Ἅπαξ *ſemel*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X pag. 347. n. 78.

A. Χίλια *mille*. In Oxonienſ. marm. pag. 472. num. 136. ſemel iterumque habetur tali modo ✕ A, ubi Prideauxius reddidit *mille denarios*; quod character A, perinde quaſi minuſcula forma *α*, ſive *ά*, *mille* ſignificat.

Æ. In marmore Smyrnenſi apud Polenum Tom. V. pag. 361.

Garberlethus, qui marmor illud expoſuit, modo *denaria ſex*, modo *mille* & *ſex* interpretatur, cum character X, qui numeralem illam notam praecedit, aliquando *denaria*, aliquando *mille* ſignificet. Sigla vero Æ *ſex* indicari putavit, quod character A *unum*, & character E *quinque* notet. Corſinus Not. Graec. pag. 3. legit Æ, & vertit *quinque millia denariorum*.

A I. Τὸ ἑνδέκατον *undecimo*. Apud Murat. pag. 401. num. 4.

B. Δύο *duo*. Apud Grut. pag. 634. num. 1.

B. Δεύτερος *ſecundus*. Grut. pag. 210. & Montfauc. Paleog. pag. 174. Spon. Pop. Att. pag. 77.

B. Τὸ δεύτερον *ſecundo*. Spon. Itin. pag. 147. & Reineſ. Claſſ. III. num. 84.

B̄. Τὸ δεύτερον *ſecundo*. Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 341. n. 64.

B. Δὶς *bis*. Spon. Miſcell. Sect. X. num. 110.

B. Δισχίλια *bis mille*. Apud Montfauc. Paleog. pag. 162. & apud eundem Diar. Ital. pag. 252. ſicuti in Grut. pag. 1096. num. 5. ad cuius exemplar reſtitui corrigique debet aliud Gruteri marmor vitiatum pag. 1249. num. 4. & aliud apud Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 331. num. 28.

Γ. Τρεῖς, τρία *tres*, *tria*. Apud Grut. pag. 730. num. 6.

Γ. Τρίτος *tertius*. Grut. pag. 210. & in Mar. Oxon. pag. 85. num. 15. & apud Spon. Pop. Attic. pag. 166.

Γ. Τὸ τρίτον *tertio*, *tertia vice*. Apud Donium Inſcript. Antiq. Cl. II. pag. 88. num. 73. & Grut. pag. 315. n. 9. & in Oxon. Marm. pag. 293. & apud Spon. Itin. pag. 124.

Γ. Τρὶς *ter*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. num. 112. & in Pop. Attic. pag. 222.

Γ. Τρισχίλια *tria millia*. Apud Murat. pag. 1069. n. 6. quamvis Latinus marmoris interpres reddat *quinque millia*.

ΓΛΠΡ. Forte Τρίτου καὶ τριακοστοῦ *trigeſimi tertii*. Apud Murat. pag. 1361. num. 11.

Δ. Τέσσαρα, τέσσαρες *quatuor*. Grut. pag. 1306. n. 11. & idem fortaſſe numeri valor apud Spon. Miſcell. Sect. X. num. 117. & iterum apud Grut. pag. 140. in S. Hippolyti cathedra.

Δ. Τέταρτος *quartae ſortis*. Apud Grut. pag. 210.

Δ. Τὸ τέταρτον *quarto*, *quarta vice*. Apud Donium pag. 88. num. 73. & in Ticinenſi marmore apud Corſin. Not. Graec. pag. 15.

Δ. Τετράκις *quater*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 112. & Pop. Att. pag. 222.

Δ.

Δ. Δευτεραίᾳ *ſecunda vice*. Apud Chishull. Antiquit. Aſiat. pag. 150.

Δ. Δέκα *decem*. In marmoreo Oxonienſi Chronico, & in Sandvicenſi marmore ſupra memorato aliiſque quamplurimis haec ſigla *decem* annos, vel drachmas denotat. Item apud Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 356. & apud Grut. pag. 495. num. 1. & fortaſſe apud eumdem pag. 1142. num. 6. quo tamen loco Corſin. Not. Graec. pag. 16. pro Δ, reſcribit Λ.

ΔЄΤΟΝ. Δέκατον *decimum*. In marmore apud Corſ. Not. Graec. pag. 86. quod ex ineditis Donii Schedis profert.

ΔΚ. Forte Τετάρτῃ *quarta*. In Florentino marmore apud Murat. pag. 401. n. 4. & apud Gorium Part. III. Inſcrip. pag. 314. ubi idem marmor accuratius profert. Muratorius & Corſinus Not. Graec. pag. 17. qui Siglam Κ, non ad Δ, quae praeceſſerat, ſed ad ſequentem vocem revocant, reddunt *quarta*; at Fogginius legendum arbitratur δέκατῃ *decima*.

E. Πέντε *quinque*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 117. & Murat. pag. 1165. n. 10. & Grut. pag. 634. n. 1.

E. Πέμπτος *quintae ſortis*. In Grut. pag. 213.

E. Τὸ πέμπτον *quinto*, *quinta vice*. Apud Murat. pag. 1019. n. 1.

E. Πεντάκις *quinquies*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 78.

EΔI. Ἡ τεσσαρεσκαιδεκαταία *quarta decima*, nempe Tribus. Apud Grut. pag. 448. n. 1.

EINA. Forte Χείλια *mille*. Apud Heſſelium in Appen. Praefat. ad Inſcrip. Gudii n. 5.

EKI. Πέντε καὶ δέκα *quindecim*. Apud Montfaucon. Paleog. pag. 159. quo loco optime reddit Cl. Auctor *quindecemvirum*.

Ϛ. Ἕξ *ſex*. Apud Grut. pag. 1091. n. 10. & Fabret. Inſcrip. Antiq. pag. 144. n. 163. & Murat. pag. 401. n. 4. & Gorium Par. III. Inſcrip. pag. 314.

Ϛ. Τὸ ἕκτον *ſexto*, *ſexta vice*. Spon. Itiner. pag. 124.

Ϛ. Τὸ ἕκτον *ſexto*. Apud Murat. pag. 370 n. 3.

Ϛ. Ἑξάκις *ſexies*. In Mar Oxon. pag. 70. n. 3.

Ϛ. Ἑξάκις χίλια *ſex millia*. Spon. Itin. pag. 101. & apud Placent. Paleog. pag. 33. & Murat. pag. 268. n. 3.

Z. Ἑπτὰ *ſeptem*. Apud Reines. Cl. XVII. pag. 847. n. 113. & bis

& bis etiam occurrit apud Fabret. Inſcript. Antiq. pag. 591.

Z. Ε῞βδομος *ſeptimus*. Apud Leichium in Emendat. ad Graecas Murat. Inſcrip. pag. 591.

Z̄. Τὸ ἕβδομον *ſeptimo*, *ſeptima vice*. Spon. Itin. pag. 143. & pag. 124.

Z. Pro Ƶ, ſive Ξ Ἑξήκοντα *ſexaginta*. Apud Murat. pag. 1165.

Z. Ἑπτάκις χίλια *ſeptem millia*. In Oxon. Marm. pag. 93. ut optime interpretatur Prideauxius, licet characterem alium Φ non pro nota numerali, ſive *quingentis*, ſed pro *Murmi* praenomine falſo acceperit, & latine verterit *F. Murmus*.

ZC. Forte Διακόσια καὶ ἑπτὰ *ducentos & ſeptem*. Apud Grut. pag. 781. n. 3.

H. Ὀκτὼ *octo*. Grut. pag. 1036. n. 8. & Fabret. pag. 144. n. 163.

H. Ὄγδοος *octavae ſortis*. Grut. pag. 210. & Fabret. pag. 588.

H. Τὸ ὄγδοον *octavo*. Apud Grut. pag. 315. n. 9. & Fabret. pag. 685. n. 87.

H. Ἑκατὸν *centum*. In Oxonienſi Chronico, & Sandvicenſi marmore, aliiſque, ubique haec nota *centum* ſignificat, & ita forte apud etiam Donium Cl. VII. pag. 311. n. 192. Apud Muratorium vero pag. 559. n. 1. ubi hic character habetur, legiturque B̄. H̄ C̄ error irrepſit, reſcribendumque B̄. Π. C. *anno* 282.

H̄. Τὸ ὄγδοον *octavo*. Apud Grut. pag. 1052. n. 6.

Θ. Ἐννέα *novem*. Apud Grut. pag. 685. n. 12. & Murat. pag. 1830. n. 4.

Θ. Ἔνατος *nonus*, *nonae ſortis*. Grut. pag. 211. & pag. 458. n. 1.

Θ. Τὸ ἔνατον *nono*, vel *nona vice*. Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 353. n. 93.

I. Εἷς *unus*. In marmoreo Oxonienſi Chronico, & in Sandvicenſi lapide aliiſque, character ille ſemper *unum* ſignificat, & apud Murat. pag. 1830. n. 4. & apud Grut. pag. 212. & 213. & fortaſſe apud Spon. Rei Antiq. Select. Quaeſt. Differt. XVIII. & Miſcell. Sect. 1. in fine. Quemadmodum apud Montfauc. Diar. Ital. c. 21. pag. 315. ut exiſtimat Maffeius.

I. Δέκα *decem*. Talem valorem huic characteri paſſim tribuunt Eruditi, ubi cum aliis numeralibus notis ita coniungitur,

gitur, ut aliter ipſe nec intelligi, nec explicari poſſit, cuius rei exempla non raro offenduntur apud Auctores; ut cum apud Placent. Paleog. pag. 33. *Indictio* Ī cum anno Mundi 6640. Chriſti 1132. coniungitur, quae *decima* eſſe debet.

I. Δέκατος *decimae ſortis*. Ita apud Grut. pag. 210. TOY. I. ΚΛΑΡΟΥ. ſic etiam AI. BI. ΓΙ. ΔΙ. ΚΛΑΡΟΥ. pro *undecima*, *duodecima*, *decimatertia*, *quarta decima ſorte*.

I. Τὸ δέκατον *decimo*, *decima vice*. Ad exprimendos Conſulatus, & Tribunitiae Poteſtatis annos ſaepiſſime conſpicitur haec Sigla numeralis, ut in Append. Marm. Oxon. pag. 293. n. 9. Grut. pag. 315. n. 9. &c.

K. Εἴκοσι *viginti*. Apud Grut. pag. 767. n. 2. & pag. 916. num. 12.

KS. Forte Ε῞κτῃ καὶ εἰκοςῇ *viceſima ſexta*. Apud Margarinum Inſcript. Antiq. Baſil. S. Pauli &c. pag. 63. n. 34.

KCN. Forte Εἰκοςὴν *viceſimam*. Apud Grut. pag. 1005. n. 3.

Λ. Τριάκοντα *triginta*. Apud Grut. pag. 169. n. 3. quo tamen loco cum perperam legatur Ω. A. Δ. reſcribi certiſſime debet Ω. Λ. Δ. *anno* nempe 834. & apud Murat. pag. 1165. n. 10.

Λ. Τριακοςὸς *trigeſimus*. Apud Grut. pag. 495. n. 2. & Montfauc. Paleog. pag. 158. n. 1. & Smithum Monum. Palmyr. n. 5.

Λ. Πεντήκοντα *quinquaginta*. Apud Murat. pag. 798. n. 5. & pag. 1879. n. 4. quibus locis, alibique ſaepius in Graecis etiam Marmoribus numerales Latinorum notae uſurpatae conſpiciuntur.

M. Τεσσαράκοντα *quadraginta*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 128. apud Grut. pag. 634. n. 1. & fortaſſe apud Fabrett. pag. 328. n. 476 idem valor tribuendus eſt huic litterae, licet aliter Cl. Auctor eam notam reddat.

M. Μυρίας *decem millia*. Append. Marm. Oxon. pag. 295. n. 10. iuxta Maffei interpretationem, & fortaſſe eadem nota ita verti debet in extrema Sandvicenſis marmoris parte, ubi frequenter invenitur.

N′. Forte Τρία καὶ δέκα *tredecim*. Apud Grut. pag. 968. n. 7. & Reines. Cl. XIV. pag. 730. n. 30.

N. Πεντήκοντα *quinquaginta*. In Oxon. Marm. pag. 89. n. 16. & apud Grut. pag. 1091. n. 10. & Smithum Mon. Palmy. n. 5.

n. 5. & n. 11. & Fleetvoodum Inſcript. Antiq. Syll. pag. 242.

Ξ. Ἑξήκοντα *ſexaginta*. Facile ita explicari debet haec nota in Oxon. Marm. pag. 89. n. 16. & apud Smithum Mon. Palmyr n. 14. & apud Montfauc. D. ar. Ital. c. 28. pag. 429.

O. Ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta*. Apud Gudium Antiq. Inſcrip. pag. 369. n. 7. & Gorium Part. I. Inſcrip. pag. 121. n. 2.

O. Ἑβδομηκοστὸς *ſeptuageſimus*. Apud Reines. Cl. XVII. pag. 821. n. 24.

Π. Πέντε *quinque*. In marmoreo Oxonienſi Chronico, & in Sandvicenſi lapide aliiſque, ut ſupra notavimus, ſemper character iſte *quinque* ſignificat.

Π. Ὀγδοήκοντα *octoginta*. Apud Grut. pag. 581. n. 10. & Murat. pag. 1952. n. 2.

|Δ|. Πεντήκοντα *quinquaginta*. Saepius in Oxonienſi & Sandvicenſi Marmore aliiſque lapidibus invenitur.

Ν. Forte Πεντήκοντα *quinquaginta*. Saepius reperitur in Smyrnenſi marmore apud Heſſelium Appen. Praef. ad Inſcrip. Gudii n. 11.

|H|. Forte Πεντακόσια *quingenta*. Frequenter haec nota occurrit in eodem ipſo marmore hic ſupra memorato.

|H|. Πεντακόσια *quingenta*. In Sandvicenſi marmore, & Oxonienſi Chronico, aliiſque ita ſemper reddi debet.

|X|. Πεντάκις χίλια *quinque millia*. In lapide Sandvicenſi.

P. Ἑκατὸν *centum*. In Oxon. Mar. pag. 80. n. 16. & pag. 131. n. 80. ſaepius character ille habetur.

PIΓ. Ἑκατοστὸς καὶ τρισκαιδεκαταῖος *centeſimus decimus tertius*. Apud Bartolum Antiq. Aquileienſ. Diſſert. II. pag. 202. qui annus in Niceratum aera ſupputari debet iuxta Corſ. Not. Graec. pag. 60.

P. N. Z. Ἑκατοστοῦ Πεντηκοστοῦ καὶ ἑβδόμου *centeſimi quinquageſimi ſeptimi*. Apud Reines. Cl. V. pag. 386. n. 51. cumque marmor Meſſene poſitum ſit, ad Meſſeniacam aeram hic annus iuxta eumdem Auctorem referri debet.

PNΣT. Ἑκατὸν Πεντήκοντα καὶ ἓξ *centum quinquaginta & ſex*. Margarinus Inſcrip. Ant. Baſil. S. Paul. n. 55. in eximio marmore ita has numerales notas legit & refert, ſed ſane vitiatas, cum nullus valor iis ineſſe poſſit, ideoque corrigendae iuxta exemplar Gruteri, qui pag. 581. n. 9. idem marmor exhibet, legitque PNϚ. nempe 156.

POH. Ἑκατοστοῦ καὶ ἑβδομηκοστοῦ ὀγδόου *centeſimi ſeptuageſimi octa-*

octavi. Apud Grut. pag. 146. n. 3. qui annus Amaſenorum aerae adſcribi debet.

Σ. E''ξ *ſex*. Apud Grut. pag. 667. n. 9. Graevius tamen aſſerit in marmore legi Ͼ.

S. E''ξ *ſex*. In Cathedra S. Hippolyti apud Grut. pag. 140. & Murat. pag. 1920. n. 2.

Ͼ. E''ξ *ſex*. Apud Lupum Diſſert. & Animad. ad Sever. Mart. Epith. pag 68. & Gudium pag. 318. n. 7.

C. E''ξ *ſex*. Apud Scal. ad Chron. Euſeb. pag. 105. col. 1. & Murat. pag. 1126. n. 7.

Ͼ· E''κτου *ſextae ſortis*. Apud Grut. pag. 210.

Σ. Διακόσια *ducenta*. In Mar. Oxon. pag. 89. n. 16.

C. Διακοσιοςῇ *ducenteſima*. Apud Grut. pag. 314. n. 1.

C̄. Πέντε *quinque*. Apud Marangonium de Reb. Ethnic. & Prof. pag. 462.

CKN. Forte Διακοσιοςὴν *ducenteſimam*. Apud Grut. 1105. n. 3.

T. Τρίων *trium*. Apud Boldettum pag. 400. ſi vero character ille in Γ refingi debet, ut Cl. Auctor exiſtimat, per eamdem interpretationem haec etiam nota exponi debet.

T. Τριακόσια *trecenta*. Apud Heſſelium n. 23.

ΤΕΣΣΑΡΑ. Τεσσαράκοντα *quadraginta*. Apud Grut. pag. 760. n. 6.

ΤΡΙΣΑ. Τρεισκαίδεκα *tredecim*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 356.

Ɏ. E''ικοσι *viginti*. Grut. pag. 968. n. 7. iuxta Corſini interpretationem Not. Graec. pag. 68.

Υ. Τετρακοσιοςὸς *quadringenteſimus*. Apud Smithum Mon. Palmyr. n. 1. & 2.

Φ. E''ικοσι καὶ ἕνα *viginti ac unum*. Apud Donium Cl. X. n. 38. pag. 362.

Φ. Πεντακόσια *quingenta*. Apud Grut. pag. 749. n. 4.

Φ. Πεντακοσιοςὸς *quingenteſimus*. Apud Smithum Mon. Palmyr. n. 11. ſed alibi ſaepius in iisdem monumentis eadem nota occurrit.

ΦΧΟΒΜΒ. Apud Spon. Itin. pag. 101. ubi Montfauconius Paleog. 147. eſſe reſcribendum oſtendit ϛΧΟΒ ΙΝ ΙΒ, hoc eſt *anno Mundi 6672. indictione XII.*

X. Δέκα *decem*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 101. & Murat. pag. 1724. & Reines. Cl. XVII. n. 174. pag. 863. & Gorium Part. I. Inſcript. pag. 188. n. 4. & Gualt. Tab. ſic

pag.

pag. 43. n. 253. in quibus Inſcriptionibus character ille *decem* ſignificat; ſive quod in illis numerales Latinorum notae ceteris Graecis vocibus adiectae fuerint, ſive quod Graeco characteri X, Latini valor affixus ſit. Ceterum Latinorum numerales notae in Graecis lapidibus quandoque adhibentur, ut apud Murat. pag. 798. n. 5. & pag. 1746. n. 13. & Gualt. Fab. ſic. pag. 46. n. 13.

X. Ἑξακόσια *ſexcenta*. Apud Spon. Itin. pag. 35. & Miſcell. Sect. X. pag. 319. n. 6. iuxta Corſini interpretationem Faſt. Att. T. 1. pag. 262. nam Sponius, Fabrettus, Maffeius *mille* eam Siglam ſignificare crediderant.

X. Χίλια *mille*. Ita in Oxonienſi Chronico, Sandvicenſi marmore, aliiſque pluribus, haec nota eſt exponenda.

ΧΟΩΝ. Χιλίων *mille*. Apud Grut. pag. 1160. n. 17. ex correctione & interpretatione Scaligeri.

Ψ. Ἑπτακόσια *ſeptingenta*. Apud Grut. pag. 760. n. 6. & Fleetvoodum Inſcript. Antiq. Syll. pag. 279. quamvis ipſe pro 700. falſo reddat 750. & iterum apud Grut. pag. 896. n. 10. ſed Scaliger eo in loco *ſexcentos* interpretatur.

Ω. Εἴκοσι καὶ τέσσαρας *viginti & quatuor*. Apud Donium Cl. X. pag. 362. n. 38. & apud Gorium Part. I. Inſcrip. pag. 50. n. 79.

Ω. Ὀκτοκοσια *octingenta*. In Oxon. Mar. pag. 93. n. 28.

Ω. Ὀκτοκοσιοςὸς *optingenteſimus*. Apud Grut. pag. 169. n. 3.

CAPVT III.

De Litterarum Compendiis, quae in Graecis, Latiniſque monimentis obſervantur.

NOn ſatis viſum eſt hominibus varia characterum, & litterarum genera inveniſſe, quibus voces ipſae animi ſenſa exprimentes, tamquam perenni conſtantique ſigno exponerentur, ne rerum cognitio, atque hiſtoriarum memoria vocis inſtar evaneſceret, brevique interiret, ſed in poſteros accuratiſſime propagaretur. At longius progreſſa eſt illorum ſolertia atque artificium, dum integras illas voces anguſtioribus quibuſdam finibus, ſeu compendiis circumſcribere illis aliquando placuit, quorum valor & poteſtas ex inita conſuetudine, re-

receptoque more intelligeretur. Haec autem mutila ſcribendi ratio, ſive compendiorum genera, quae ab antiquiſſimis uſque temporibus apud gentes omnes uſurpata fuit, licet in Papyris, Teſſeris, Veſtibus, Vexillis, Figlinis, Kalendariis aliiſque rebus imprimerentur, in lapidibus vero, nummis, aeneiſque tabulis ſaepius frequentari a Graecis Latiniſque conſueverunt; vel quia ſcriptores, ubi aeri vel marmori voces incidendae fuerant, eas vocum contractiones frequenter uſurpabant, vel quia lapidis atque aeris anguſtia, cum ad integras voces accurate excipiendas impar foret, breviores illi facilioreſque characteres adhiberi ſubinde debuerint, qui *Siglae*, ac *Notae* vulgo nuncupantur. Et quamvis duo illa nomina plerumque una eademque Notae voce exprimantur, intereſt tamen illorum diſcrimen perfecte callere. Itaque Lipſius (1) ex veteri Iuriſconſultorum ſententia (2), ita Notas a Siglis diſtinguendas eſſe putavit; ut per Siglam intelligi debeat character aliquis, littera, quae ex recepto more a ſcriptoribus adhiberetur loco alicuius integrae vocis, ut C. *Caius*. Notarum vero nomine intelligi exiſtimat ſigna quaedam, characteres, imagines, puncta, flexuras, & ſimilia, quae ab uſitatis ſcribentium characteribus diſſident, & quae *Ciſere* apud nos dicuntur. Huiuſmodi Notae, quae integram vocem, atque interdum etiam plures complectebantur, a Graecis σημεῖα *ſigna* vocantur; illarum inventor, iuxta Laertium (3) Xenophon: apud Romanos, iuxta Plutarchum (4) Cicero, licet Dio (5) tradat de Maecenate, quod primus ſigna litterarum invenit. Id enim de quibuſdam Notis intelligi debet, quas ille veteribus, vel Ciceronianis adiecit. Ad ſiglas vero quod attinet, eae ita dictae ſunt, vel quod ſingulae, vel ſingulariae (5) litterae pro integra voce ponerentur, vel quia iuxta Briſſonium ſunt tamquam ſigilla, vel parva ſigna, quibus veluti brevioribus ſignis integrae voces exprimerentur. Harum uſus apud Romanos non modo perantiquus, ſed longe frequentior quam Notarum fuit, cum fere nulla monimenta ſuperſint arbitrariis Notis inſcripta; innumera vero, eademque publica, Siglis, ſeu quae unicam, eamque ut plu-

 rimum

(1) Epiſt. 27. Centur. I. ad Belgas. (2) Celebre eſt apud Iuriſperitos effatum illud: *Notas litteras non eſſe*, ſcriptaſque litteras *Notarum* voce non comprehendi, ut fuſe ex variis legum teſtimoniis Briſſonius de Verb. ſignificat, & Cuiacius Lib. 12. cap 10 oſtendit. (3) Lib. II. Segm. 48. (4) In Catone. (5) Lib. 55. (6) Loc. cit.

que in ceteris collectionibus nondum addita fuerit. Qua quidem in re ut Adoleſcentium commodo magis inſerviremus, Latinis nunc primum interpretationibus ſingulas illas Notas donavimus, quae tamen ex ipſo orationis contextu, nativoque Epigraphes ſenſu confirmari & illuſtrari debent, illique proinde accomodari. Ex hac vero compendiorum recenſione, quam modo exhibemus, & numerorum, & Chriſtianorum monimentorum Notas ſeiunximus, quod eae ſuis locis in hoc Opere a nobis proferuntur.

A

A.	ὁ δεῖνα Δῆμος τῆς Ἀ'ττικῆς	*Quidam Atticae Populus.*
A.	Ἀ'πὸ	*Ab.*
A.	Ἀ'ύλυ	*Auli.*
A.	Ἀ'υρήλιον	*Aurelium.*
A.	Ἀ'λωπεκεὺς	*Alopeceus Pop. At.*
A.	Ἀ'υτοκράτορος	*Imperatoris.*
Ā.	Αὖλος	*Aulus.*
A.	Ἀ'ιλίῳ, aut Ἀ'ιμιλίῳ, aut Ἀ'υρηλίῳ	*Aelio, aut Aemilio, aut Aurelio.*
ΑΛΟΥΝ.	Ἄλυμνος	*Alumnus.*
ΑΒΙΓΙΣ.	Ἄβιγις	*Abigis.*
ΑΓ.	Ἀ'γὼν	*Certamen.*
ΑΓΑΤ.	Ἀ'γαθὸν	*Bonum.*
ΑΓΓΕ.	Ἀ'γγελεὺς	*Ex Angele Pop. At.*
ΑΓΝ.	Ἀ'γνύσιος	*Agnuſius Pop. At.*
ΑΓΟΡΑΝ̄.	Ἀ'γορανόμυ.	Agoranomi.
ΑΔΕΛΦ.	Ἀ'δελφὸν	*Fratrem.*
ΑΖΗΝΙ.	Ἀ'ζηνιὰς	*Azenia Pop. At.*
ΑΘΗΝ.	Ἀ'θηναίυ	*Athenienſis.*
ΑΘΗΝΑΙ.	Ἀ'θηνάίυ	*Athenienſis.*
ΑΙ.	Αἴλιος	*Aelius.*

AI

ΑΙ.	Α'ιγεῖδαι	*Aegidae Pop. At.*
Α.Ι.	Α'ειμνήϛη	*Semper memoranda.*
ΑΙΘ.	Α'ιθαλιδῶν	*ex Aethalidis P. A.*
ΑΙΛ.	Α'ίλιος	*Aelius.*
ΑΙΜ.	Α'ιμιλίᾳ	*Aemilia.*
ΑΙΞΟ.	Αἰξωνεὺς	*Aexoneus Pop. At.*
ΑΚΥL.	Α'κύλιος	*Aquilius.*
ΑΛ.	Α'λωπεκεὺς	*Alopecenſis Pop. At.*
ΑΛΕ.	Α'λεξανδρεὺς	*Alexandrinus.*
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕ.	Α'λεξανδρεὺς	*Alexandrinus.*
ΑΛΥΠ.	Α'λυπίȣ, vel Α'λυπιάνȣ	*Alypii, vel Alypiani.*
ΑΛΦ.	Α'λφηνὸν	*Alphenum.*
ΑΛϖ.	Α'λωπεκεὺς	*ex Alopece Pop. At.*
ΑΜ.	Α'μέρων, ſive κ λὶ Μηνῶν	*Dierum, ſive & Menſium.*
ΑΜΜ.	Α'μμονίȣ	*Ammonii.*
ΑΝΑΕΓΓΡΑΦ.	Α'ναεγραφέντι	*Conſtituto.*
ΑΝΕΘ. ΑΝΕΘΗ. ΑΝΕΘΗΚ.	Α'νέθηκε	*Poſuit.*
ΑΝΕΜΟΥ.	Α'νεμȣρίȣ	*Anemurii.*
ΑΝΕΠ.	Α'νεπαύσατο	*Obiit.*
ΑΝΤ.	Α'ντώνιον	*Antonium.*
ΑΝΤΑΓΩΝΙCΤ.	Α'νταγωνίϛας	*Antagoniſtas.*
ΑΝΤΙΘΗΣ.	Α'ντίθησι	*Dicat.*
ΑΝΤΙΣΤΡΑ.	Α'ντιϛράτηγον	*Pro praetorem.*
ΑΝΤΩΝΙ.	Α'ντωνίνȣ	*Antonini.*
ΑΝΤΩΝΕΙΝ.	Α'ντωνείνȣ	*Antonini.*
ΑΟΥ.	Α'νθυπάτȣ	*Proconſulis.*
ΑΠ.	Α'πολλωνιεὺς	*ex Apollonia P. A.*
ΑΠ'.	Α'ππίȣ	*Appii.*
ΑΠΕ.	Α"ππιος, vel Λȣ́κιος Γέλλιος	*Appius, vel Lucius Gellius.*

ΑΠΕΛ.

ΑΠΕΛ.	Α'πελευθέρῳ	*Liberto.*
ΑΠΕΛΕ.	Α'πελευθέροις	*Libertis.*
ΑΠΕΛΕΥ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΕΛΕΥΘ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΙ.	Α'πίοντος	*Exeuntis.*
ΑΠΟΛ.	Α'πολλωνιεὺς	*ex Apollonia Po. At.*
ΑΠΟΛ.	Α'πολλωνίου	*Apollonii.*
ΑΠΟΛΛΙΑΡ.	Α'πολλινάρις	*Apollinaris.*
ΑΠΡ.	Α'πρειλίων	*Aprilium.*
ΑΠΡΕΙ	Α'πρειλίων	*Aprilium.*
ΑΠΡЄΙΛ.	Α'πρειλίου	*Aprilis.*
ΑΡΑΒ.	Α'ραβικοῦ	*Arabici.*
ΑΡΙΣ.	Α'ριϛομήδης	*Ariſtomedes.*
ΑΡΤΕΜΩ.	Α'ρτέμωνος	*Artemonis.*
ΑΡΧ.	Α"ρχων, vel Α"ρχοντες	*Archon, vel Archontes.*
ΑΡΧΙΣ.	Α"ρχοντος	*Archontis.*
ΑΣΚΛΗ.	Α'σκληπιείοις	*Aſclepieis.*
ΑΥΤΟΙΣ.	Ε'αυτοῖς	*Sibimetipſis.*
ΑΥΓ.	Α'υγούϛων	*Auguſtarum.*
ΑΥΓ.	Α'υγούϛου	*Auguſti.*
ΑΥΓΟΥϹ.	Α"υγουϛος	*Auguſtus.*
ΑΥΡ̄.	Α'υρήλιον	*Aurelium.*
ΑΥΡ.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥR.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥΡΕ.	Α'υρελίῳ	*Aurelio.*
ΑΥΡΕΛ.	Α'υρέλιος	*Aurelius.*
ΑΥΡΗΛ.	Α'υρήλιον	*Aurelium.*
ΑΥΡΣ.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥΤ.	Α'υτοκράτορι	*Imperatori.*
ΑΥΤΟΚ.	Α'υτοκράτορος	*Imperatoris.*
ΑΥΤϹ.	Α'υτὸς	*Ipſe.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤ.	Α'υτοκράτορα	*Imperatorem.*

ΑΦΙ.

ΑΦΙ.	Ἀφιδναῖος	*Aphidnaeus Pop. A.t.*
ΑΦΛ^SΦASC.	Φλαβίυ Ἀριοβίνδυ, Φλαβίου Ἄσπαρος	*Flavii Ariobindi. Flavii Aſparis.*
ΑΦΡΟΔΕΙ.	Ἀφροδείτυ	*Aphroditi.*
ΑΦΡΟΔΙCΙ.	Ἀφροδισιάδος	*Aphrodiſiadis.*
ΑΧΑΡ.	Ἀχαρνεὺς	*AcharnenſisAt.Pop*

B

B	f. Δευτεραία	*Poſtridie.*
B.	Βυλὴ	*Senatus.*
ΒΑΣΙΛ.	Βασιλεῖ	*Regi.*
ΒΑΣΙΛΕΟΔΩ.	Βασιλεόδωρος	*Baſileodorus.*
ΒΑΣΙΛΙ.	Βασιλικῷ	*Regio.*
Β.Δ.	Βυλῆς Δόγματι	*Senatus Conſulto.*
ΒΕΡ.	f. Βερενικίδης	*ex Berenicidis At.Pop.*
ΒΗΣ.	Βησαιεὺς	*Beſaeeus Att. Pop.*
ΒΗΣΑΙΕ.	Βησαιεὺς	*Beſaeeus Att. Pop.*
Β.Η.ΣΕΥ.	ΕὐσεΒΗΣ ΕὐΤυχὴς	*Pius felix.*
ΒΙC.	Βίσωμον	*Biſomum.*
Β.Κ.Μ.	f. Βετέρανος Κλάσσις Μισηνάτις	*Veteranus Claſſis Miſenatis.*
ΒΡΙΤ.	Βριτάννικον	*Britannicum.*
ΒΥΒΛΟ̄.	Βίβυλον	*Bibulum.*
ΒΩ.	Βώμυς	*Altaria.*

Γ

Γ.	Γερυσίας	*Senatus.*
Γ.	Γαΐυ	*Gaii.*
ΓΑ.	Γαΐον	*Gaium.*
ΓΑΓΗ.	Γαληρίᾳ	*Galeria.*

ΓΑΡ.

ΓΑΡ. ΓΑΡΓΗ. ΓΑΡΓΗΤ. ΓΑΡΓΗΤΙ.	Γαργήττιος	*ex Gargetto At. Pop.*
ΓΕ.	Γέλλιος	*Gellius.*
ΓΕΓΡ.	Γεγραμμένυ	*Supraſcripti.*
ΓΕΛΛ.	Γέλλιος	*Gellius.*
ΓΕΡ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΕΡΜ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΕΡΜΑΝΙΚ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΗ.	Τῇ	
ΓΝ.	Γναῖος	*Gnaeus.*
ΓΝΑΙ.	Γναῖος	*Gnaeus.*
ΓΝΗΣ.	Γνησίῳ	*Legitimo.*
ΓΟΝΕ.	Γονέων	*Parentum:*
ΓΟΡ.	Γορπιαίυ	*Gorpiaei.*
ΓΟΡΤΥ.	Γορτύεως, vel Γόρτυος	*Gortyis.*
ΓΟΡΤΥΝΙ.	Γορτυνίων	*Gortyniorum.*
ΓΡ.	Γραμματεὺς	*Scriba.*
ΓΡΑ.	Γραφεὺς	*Scriba.*
ΓΡΑΦ.	Γραφομένῳ	*Scribundo.*
ΓΥΜΝΩ.	Γυμνικῷ	*Gymnico.*

Δ

Δ.	Διονυσίυ	*Dyoniſii.*
ΔΑΙΜΟΝ.	Δαίμονος	*Genii.*
Δ.Ε.	Δημαρχικῆς Ἐξυσίας	*Tribuniciae Poteſtatis.*
ΔΕΙ.	Δίες	*Dies.*
ΔΕΙΡ.	Δειραδιώτης	*Diradiotes.*
ΔΕΚ.	Δεκεμβρίων	*Decembrium.*
ΔΕΚΕΝΒΡΙ.	Δεκεμβρίας	*Decembres.*
ΔΕΞΗ.	Δεξηράτυ	*Dexeratis.*

ΔΕΣΠ.

ΔΕΣΣ.	Δεσπότου	*Domini.*
ΔΕΣΠ̊Π̊.	Δεσπότων	*Dominorum.*
ΔΗ.	Δηίφοβος	*Deiphobus.*
ΔΗ.	Δηνάρια	*Denaria.*
ΔΗΛ.	Δηλίο pro Δηλίου	*Delii.*
ΔΗΜΑΡΧΙΚ.	Δημαρχικῆς	*Tribuniciae.*
ΔΗΜΟC.	Δημόσια	*Publicu.*
ΔΗΝΑΡ.	Δηναρίοις	*Denariis.*
ΔΙΔ.	Διδύμης	*Geminae.*
ΔΙΟΚΛ.	Διοκλέους	*Dioclis.*
ΔΙΟΝ.	Διονυσίου	*Dionyſii, vel Dionyſodori.*
ΔΙΟΣΚΟΥΡ.	Διοσκουρίδου	*Dioſcuridae.*
ΔΙΟΣΚΟΥΡ.	Διοσκούρων	*Dioſcurorum.*
Δ. Μ.	Δίις Μανίβους	*Diis Manibus.*
Δ. Μ. Σ.	Δίις Μανίβους Σάκρουμ	*Diis Manibus Sacrum.*
Δ. Τ.	Δίι τῷ	*Iovi.*

E

E.	E'τῶν	*Annorum.*
E.	E'ς	*Ad.*
E.	E'κ	*Ex.*
E.	E'ποιεῖ, ſeu E'πόιησε	*Faciebat, ſive fecit.*
E.	Et	
Є.	Є'νθάδε, vel Є'κοιμήθη	*Hic, vel requievit.*
ΕΓΝΑΤ.	E'γνάτιον	*Ignatium.*
ΕΔ.	Eἰδῶν	*Idus.*
ΕΔΩ.	E'ξ Ω'ίου	*Ex Oëo At. Pop.*
ΕΖ.	E"ζησεν	*Vixit.*
ΕΖΗ.	E"ξησεν	*Vixit.*

ΕΙ.	Εἰδῶν	*Idus.*
ΕΙΔ.	Εἰδῶν	*Idus.*
ΕΙΣΙΔΩΡ.	Εἰσιδώρȣ	*Iſidori.*
ΕΚΚΗ.	Ε'κ Κηδῶν	*Ex Cedis Pop. At.*
ΕΚΚΟΙ.	Ε'κ Κοίλης	*Ex Coele Pop. At.*
ΕΚΤ.	Ε'κ τῆς	*Ex.*
ΕꝀ.	Ε'κ τῶν	*Ex.*
ΕΛΕΥ.	Ε'λεύθερος	*Liber.*
ΕΝ.	Ε"νεκα	*Cauſſa.*
ΕΝ.	Ε'νθάδε	*Hic.*
ЄΝΙ.	Μηνὶ	*Menſe.*
ΕΞ.	Ε'ξ	*Ex.*
ΕΞΑΙΘ.	Ε'ξ Αἰθαλιδῶν	*Ex Aethalidis.*
ΕΞΕ.	Ε'ξάμηνον	*Semeſtre.*
ΕƵΕΠΙΤΑΓΜ.	Ε"ξ ἐπιταγῆς	*Ex iuſſu.*
ΕΞΟΙ.	Ε'ξ Ο"ιȣ	*Ex Oëo Pop. At.*
ΕΞΥC.	Ε'ξουσίας	*Poteſtatis.*
ΕΠΙΕΙΚ.	Ε'πιεικίδης	*Epiicides Pop. At.*
ΕΠΙΣΤ.	Ε'πιστάτης	*Praefectus.*
ΕΡΓΑ.	Ε"ργασε	*Fecit.*
ΕΡΕΝ.	Ε'ρέννιον	*Herennium.*
ΕΡΕΝΝ.	Ε'ρέννιος	*Herennius.*
ΕΡΙ.	Ε'ρικαιεὺς	*Ericieus Pop. At.*
ΕΣΤΙΑΙ.	Ε'στιαίȣ	*Eſtiaei.*
ΕΤ.	Ε'τῶν	*Annorum.*
ЄΤЄ.	Ε'τελεύτα, ſive Ε'τελεύτησε	*Obibat, ſeu Obiit.*
ΕΤΕΛ.	Ε'τελεύτησεν	*Obiit.*
ΕΥΔΑΙΜ.	Ε'υδαίμονος	*Felicis.*
ΕΥΟ.	Ε'υόδιος	*Evodius.*
ΕΥΠΥ.	Ε'υπυρίδης	*Eupyrides Pop. At.*
ΕΥΣ.	Ε'υσέβη	*Pium.*
ΕΥC.Κ.	Ε'υσεβείας Χάριν	*Pietatis gratia.*
ΕΙΧΑ.	Ε'υχαρίδȣ	*Eucharidis.*

ΕΦΛ.

EΦΛ.	T. Φλαούιος	*Titus Flavius.*
EXΠΛΩΡ.	Ε'ξπλωρατόρων	*Exploratorum.*
EXTO.	Ε'χαρίσατο, vel Ε'χώσατο	*Conceſſit, vel conſtruxit.*

Z

Z.	Ζήσαντι	*Qui vixit.*
ΞH.	Ζήσας	*Vivens.*
ZHI.	Ζήσας	*Vivens.*
ZHΣAN.	Ζήσαντι	*Qui vixit.*

H

H.	Η'μέρας	*Dies.*
H̄.	Η'μέρων	*Dierum.*
Ħ.	Η'μέρας	*Dies.*
Ḧ.	Η'μέρας	*Dies.*
Ħ.	Η'μέρας	*Dies.*
HΓEMO.	Η'γεμόνι	*Praeſidi.*
H̄H̄ιοιν.	Η'ξίουν	*Poſtulabant.*
HHΩ.	Η"τω	*Sit.*
ꟷM.	Η'μῶν	*Noſtrorum.*
HM.	Η'μέρας	*Dies.*
HME.	Η'μέρας	*Dies.*
HMEP.	Η'μέραις	*Diebus.*
HMHP.	Η'μέρων	*Dierum.*
HMΥCΓ.	Η'μέρων ἕξ,	*Dierum ſex.*
HPA.	Η'ρακλεουπόλεως	*Heracleopolis.*

Θ

Θ.	Θήκατο	*Poſuit.*
Θ.	Θεᾶ	*Dea.*

n. 5. & n. 11. & Fleetvoodum Inſcript. Antiq. Syll. pag. 242.

Ξ. Ἑξήκοντα *ſexaginta*. Facile ita explicari debet haec nota in Oxon. Marm. pag. 89. n. 16. & apud Smithum Mon. Palmyr. n. 14. & apud Montfauc. Diar. Ital. c. 28. pag. 429.

Ο. Ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta*. Apud Gudium Antiq. Inſcrip. pag. 369. n. 7 & Gorium Part. I. Inſcrip. pag. 121. n. 2.

Ο. Ἑβδομηκοστὸς *ſeptuageſimus*. Apud Reines. Cl. XVII. pag. 821. n. 24.

Π. Πέντε *quinque*. In marmoreo Oxonienſi Chronico, & in Sandvicenſi lapide aliiſque, ut ſupra notavimus, ſemper character iſte *quinque* ſignificat.

Π. Ὀγδοήκοντα *octoginta*. Apud Grut. pag. 581. n. 10. & Murat. pag. 1952. n. 2.

ΠΔ. Πεντήκοντα *quinquaginta*. Saepius in Oxonienſi & Sandvicenſi Marmore aliiſque lapidibus invenitur.

Ꮁ. Forte Πεντήκοντα *quinquaginta*. Saepius reperitur in Smyrnenſi marmore apud Heſſelium Appen. Praef. ad Inſcrip. Gudii n. 11.

ΠΗ. Forte Πεντακόσια *quingenta*. Frequenter haec nota occurrit in eodem ipſo marmore hic ſupra memorato.

ΠΗ. Πεντακόσια *quingenta*. In Sandvicenſi marmore, & Oxonienſi Chronico, aliiſque ita ſemper reddi debet.

ΠΧ. Πεντάκις χίλια *quinque millia*. In lapide Sandvicenſi.

Ρ. Ἑκατὸν *centum*. In Oxon. Mar. pag. 80. n. 16. & pag. 131. n. 80. ſaepius character ille habetur.

ΡΙΓ. Ἑκατοστὸς καὶ τρισκαιδεκαταῖος *centeſimus decimus tertius*. Apud Bartolum Antiq. Aquileienſ. Diſſert. II. pag. 202. qui annus in Niceratum aera ſupputari debet iuxta Corſ. Not. Graec. pag. 60.

Ρ. Ν. Ζ. Ἑκατοστοῦ Πεντηκοστοῦ καὶ ἑβδόμου *centeſimi quinquageſimi ſeptimi*. Apud Reines. Cl. V. pag. 386. n. 51. cumque marmor Meſſene poſitum ſit, ad Meſſeniacam aeram hic annus iuxta eumdem Auctorem referri debet.

ΡΝΣΤ. Ἑκατὸν Πεντήκοντα καὶ ἓξ *centum quinquaginta & ſex*. Margarinus Inſcrip. Ant. Baſil. S. Paul. n. 55. in eximio marmore ita has numerales notas legit & refert, ſed ſane vitiatas, cum nullus valor iis ineſſe poſſit, ideoque corrigendae iuxta exemplar Gruteri, qui pag. 581. n. 9. idem marmor exhibet, legitque ΡΝϚ. nempe 156.

ΡΟΗ. Ἑκατοστοῦ καὶ ἑβδομηκοστοῦ ὀγδόου *centeſimi ſeptuageſimi octa-*

octavi. Apud Grut. pag. 146. n. 3. qui annus Amaſenorum aerae adſcribi debet.

Σ. Ε῝ξ *ſex*. Apud Grut. pag. 667. n. 9. Graevius tamen aſſerit in marmore legi Ꮯ.

S. Ε῝ξ *ſex*. In Cathedra S. Hippolyti apud Grut. pag. 140. & Murat. pag. 1920. n. 2.

Ꮯ. Ε῝ξ *ſex*. Apud Lupum Differt. & Animad. ad Sever. Mart. Epith. pag 68. & Gudium pag. 318. n. 7.

C. Ε῝ξ *ſex*. Apud Scal. ad Chron. Euſeb. pag. 105. col. 1. & Murat. pag. 1126. n. 7.

Ꮯ· Ε῝κτου *ſextae ſortis*. Apud Grut. pag. 210.

Σ. Διακόσια *ducenta*. In Mar. Oxon. pag. 89. n. 16.

C. Διακοσιοςῇ *ducenteſima*. Apud Grut. pag. 314. n. 1.

C̄. Πέντε *quinque*. Apud Marangonium de Reb. Ethnic. & Prof. pag. 462.

CKN. Forte Διακοσιοςὴν *ducenteſimam*. Apud Grut. 1105. n. 3.

T. Τρίων *trium*. Apud Boldettum pag. 400. ſi vero character ille in Γ refingi debet, ut Cl. Auctor exiſtimat, per eamdem interpretationem haec etiam nota exponi debet.

T. Τριακόσια *trecenta*. Apud Heſſelium n. 23.

ΤΕΣΣΑΡΑ. Τεσσαράκοντα *quadraginta*. Apud Grut. pag. 760. n. 6.

ΤΡΙΣΑ. Τρεισκαίδεκα *tredecim*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. pag. 356.

Ꮍ. Ε῝ικοσι *viginti*. Grut. pag. 968. n. 7. iuxta Corſini interpretationem Not. Graec. pag. 68.

T. Τετρακοσιοςὸς *quadringenteſimus*. Apud Smithum Mon. Palmyr. n. 1. & 2.

Φ. Ε῝ικοσι καὶ ἕνα *viginti ac unum*. Apud Donium Cl. X. n. 38. pag. 362.

Φ. Πεντακόσια *quingenta*. Apud Grut. pag. 749. n. 4.

Φ. Πεντακοσιοςὸς *quingenteſimus*. Apud Smithum Mon. Palmyr. n. 11. ſed alibi ſaepius in iisdem monumentis eadem nota occurrit.

ΦΧΟΒΜΒ. Apud Spon. Itin. pag. 101. ubi Montfauconius Paleog. 147. eſſe reſcribendum oſtendit ϚΧΟΒ ΙΝ ΙΒ, hoc eſt *anno Mundi 6672. indictione XII.*

X. Δέκα *decem*. Apud Spon. Miſcell. Sect. X. n. 101. & Murat. pag. 1724. & Reines. Cl. XVII. n. 174. pag. 863. & Gorium Part. I. Inſcript. pag. 188. n. 4. & Guaſt. Tab. ſic

pag.

pag. 43. n. 253. in quibus Inſcriptionibus character ille *decem* ſignificat; ſive quod in illis numerales Latinorum notae ceteris Graecis vocibus adiectae fuerint, ſive quod Graeco characteri X, Latini valor affictus ſit. Ceterum Latinorum numerales notae in Graecis lapidibus quandoque adhibentur, ut apud Murat. pag. 798. n. 5. & pag. 1746. n. 13. & Gualt. Fab. ſic. pag. 46. n. 13.

X. Ἑξακόσια *ſexcenta*. Apud Spon. Itin. pag. 35. & Miſcell. Sect. X. pag. 319. n. 6. iuxta Corſini interpretationem Faſt. Att. T. 1. pag. 262. nam Sponius, Fabrettus, Maffeius *mille* eam Siglam ſignificare crediderant.

X. Χίλια *mille*. Ita in Oxonienſi Chronico, Sandvicenſi marmore, aliiſque pluribus, haec nota eſt exponenda.

ΧΟΩΝ. Χιλίων *mille*. Apud Grut. pag. 1160. n. 17. ex correctione & interpretatione Scaligeri.

Ψ. Ἑπτακόσια *ſeptingenta*. Apud Grut. pag. 760. n. 6. & Fleetvoodum Inſcript. Antiq. Syll. pag. 279. quamvis ipſe pro 700. falſo reddat 750. & iterum apud Grut. pag. 896. n. 10. ſed Scaliger eo in loco *ſexcentos* interpretatur.

Ω. Εἴκοσι καὶ τέσσαρας *viginti & quatuor*. Apud Donium Cl. X. pag. 362. n. 38. & apud Gorium Part. I. Inſcrip. pag. 50. n. 79.

Ω. Ὀκτοκοσια *octingenta*. In Oxon. Mar. pag. 93. n. 28.

Ω. Ὀκτοκοσιοςὸς *optingenteſimus*. Apud Grut. pag. 169. n. 3.

C A P V T III.

De Litterarum Compendiis, quae in Graecis, Latiniſque monimentis obſervantur.

NOn ſatis viſum eſt hominibus varia characterum, & litterarum genera inveniſſe, quibus voces ipſae animi ſenſa exprimentes, tamquam perenni conſtantique ſigno exponerentur, ne rerum cognitio, atque hiſtoriarum memoria vocis inſtar evaneſceret, brevique interiret, ſed in poſteros accuratiſſime propagaretur. At longius progreſſa eſt illorum ſolertia atque artificium, dum integras illas voces anguſtioribus quibuſdam finibus, ſeu compendiis circumſcribere illis aliquando placuit, quorum valor & poteſtas ex inita conſuetudine, re-

receptoque more intelligeretur. Haec autem mutila ſcribendi ratio, ſive compendiorum genera, quae ab antiquiſſimis uſque temporibus apud gentes omnes uſurpata fuit, licet in Papyris, Teſſeris, Veſtibus, Vexillis, Figlinis, Kalendariis aliiſque rebus imprimerentur, in lapidibus vero, nummis, aeneiſque tabulis ſaepius frequentari a Graecis Latiniſque conſueverunt; vel quia ſcriptores, ubi aeri vel marmori voces incidendae fuerant, eas vocum contractiones frequenter uſurpabant, vel quia lapidis atque aeris anguſtia, cum ad integras voces accurate excipiendas impar foret, breviores illi facilioreſque characteres adhiberi ſubinde debuerint, qui *Siglae*, ac *Notae* vulgo nuncupantur. Et quamvis duo illa nomina plerumque una eademque Notae voce exprimantur, intereſt tamen illorum diſcrimen perfecte callere. Itaque Lipſius (1) ex veteri Iuriſconſultorum ſententia (2), ita Notas a Siglis diſtinguendas eſſe putavit; ut per Siglam intelligi debeat character aliquis, littera, quae ex recepto more a ſcriptoribus adhiberetur loco alicuius integrae vocis, ut C. *Caius*. Notarum vero nomine intelligi exiſtimat ſigna quaedam, characteres, imagines, puncta, flexuras, & ſimilia, quae ab uſitatis ſcribentium characteribus diſſident, & quae *Ciſere* apud nos dicuntur. Huiuſmodi Notae, quae integram vocem, atque interdum etiam plures complectebantur, a Graecis *σημεῖα ſigna* vocantur; illarum inventor, iuxta Laertium (3) Xenophon: apud Romanos, iuxta Plutarchum (4) Cicero, licet Dio (5) tradat de Maecenate, quod primus ſigna litterarum invenit. Id enim de quibuſdam Notis intelligi debet, quas ille veteribus, vel Ciceronianis adiecit. Ad ſiglas vero quod attinet, eae ita dictae ſunt, vel quod ſingulae, vel ſingulariae (6) litterae pro integra voce ponerentur, vel quia iuxta Briſſonium ſunt tamquam ſigilla, vel parva ſigna, quibus veluti brevioribus ſignis integrae voces exprimerentur. Harum uſus apud Romanos non modo perantiquus, ſed longe frequentior quam Notarum fuit, cum fere nulla monimenta ſuperſint arbitrariis Notis inſcripta; innumera vero, eademque publica, Siglis, ſeu quae unicam, eamque ut plu-

V rimum

(1) Epiſt. 27. Centur. I. ad Belgas. (2) Celebre eſt apud Iuriſperitos effatum illud: *Notas litteras non eſſe*. ſcriptaſque litteras *Notarum* voce non comprehendi, ut fuſe ex variis legum teſtimoniis Briſſonius de Verb. ſignificat, & Cuiacius Lib. 12. cap 10. oſtendit. (3) Lib. II. Segm. 48. (4) In Catone. (5) Lib. 55. (6) Loc. cit.

rimum initialem, aut pauciores litteras exhibeant, adeoque in ipſis, licet mutilis contractiſque, integra tamen vox continetur. Sane etiam apud Graecos haec litterarum compendia antiquitus cognita, & uſurpata fuere, cum illa conſpiciantur inculpta in pervetuſto Amyntae Regis nummo, qui An. I. Oly. 63. regnare coepit. Fatendum tamen Graecos raro cum incolumi libertate gaudebant his contractionibus uſos, frequenter ubi Romanis paruerunt, ſaepiſſime vero Auguſtorum aetate; ut ex monumentis variis illis temporibus excitatis apparet. Sed ut initio monui, licet huiuſmodi varietate Notae a Siglis diſtinguantur, plerumque Notae, & quandoque etiam Siglae, vox, tamquam communior magiſque patens, omnia ſignorum, & characterum genera apud ſcriptores deſignat. Cum igitur tum Graeca, tum Latina monimenta paſſim his contractionibus referta conſpiciantur, cumque in iis maxima eruditionis ſeges deliteſcat, incredibile profecto eſt quanta obſcuritas & perplexitas in vetuſtis monimentis perlegendis atque intelligendis ſit futura, niſi ipſarum Notarum valor, & poteſtas nitide explorata, & conſtituta iam fuerit. Viderant id ſapientiſſimi illi viri, qui has Notas ſtudioſe conquiſiverunt, in unum congeſſere, atque explicarunt. Id praeſtitit ab ipſa uſque Neronis aetate Probus, qui compendiorum, quae tum frequentiſſime uſurpabantur, ſeriem contexuit, aliamque deinceps Anonymus ille, cuius librum iam pene deletum ſe renovaſſe Petrus Diaconus teſtatur, ut nihil de Papiae, Magonis, aliorumque Notis commemorem. Longe plures poſt renatas in Italia litteras ad Latinorum marmorum notas explicandas animum appulerunt, quos inter eminent Guarinus Veronenſis, Ferrarinius Regienſis, qui Probi librum plurimis Notis auctum edidit, Petrus Appianus; Torellus Saraina, Aldus Nepos, Smetius (1), quorum veſtigiis inſtiterunt deinde Scaliger (2), Reineſius, Gudius, Gorius, aliique, qui Notas omnes monumentis ab ipſis editis accurate complexi ſunt, & expoſuerunt. At Sertorius Vrſatus ingentem compendiorum copiam, quae a variis ſcriptoribus obſervata fuerant collegit, atque illuſtravit, quemadmodum

(1) Notarum ſeries, quam vir ille ſapientiſſimus collegit, & explicavit, ea eſt, quae ſub Anonymi titulo a Fabricio laudatur, & a Gothofredo in Grammaticorum collectione. iterumque a Goltio in Theſauro Rei Antiquariae anno 1618. edita fuit. (2) Magnus hic vir cum varios & accuratos illos Gruteriani Operis Indices adornaret in 20. capite ſingulas Latinorum Notas una recenſuit, & explicavit.

dum Ioannes Nicolai innumera fere Notarum genera in libro ſuo *de Siglis* complexus eſt, a quibus Nieupoort, aliique ea, quae magis neceſſaria & uſitata cenſentur, decerpſerunt, & Adoleſcentium commodo ediderunt. Quare in tanta librorum ſatietate, quos ſtudioſe Fabricius (1) enumerat, tantoque ſcriptorum numero, qui de variis Romanorum Notis una colligendis explanandiſque cogitarunt, actum agere denuo, & ligna, ut aiunt, ad lucum comportare omnino viderer, ſi hic iterum Notas haſce proferrem. Satius ergo exiſtimo uberrimos illos fontes, qui ubique & commode adiri poſſunt, ſtudioſis Adoleſcentibus commonſtraſſe. Aliter vero res ſe ſe habet, ſi de Graecorum monimentorum Notis ſermo ſit. Quamvis enim Siglarum omnium ſeries, quae in Graecis nummis inſcriptae ſunt, a Vaillantio, Nicolao, aliiſque adornata fuerit, nemo tamen ſuperioribus annis contractiones omnes, quae in ſingulis Graecorum lapidibus, tabulis, in quocumque demum opere, theſauro reperirentur, una colligere, recenſere atque explicare ſollicitus fuit, ſed illorum quilibet ea ſolum compendiorum genera exhibere & interpretari ſtuduit, quae in peculiaribus quibuſdam monimentis invenerant, aut in iis, quae ipſi omnium primi e tenebris eruta in lucem extulerunt; ita Scaliger, Gruterus, Gualtherius, Seldenus, Prideauxius, Reineſius, Sponius, Muratorius ſe geſſerunt. Recenſionem hanc prae ceteris utiliſſimam adgreſſus eſt omnium primus immortalis Maffeius in aureo libro *De Graecorum Siglis lapidariis* anno 1746. edito, in quo tercenta fere vocum compendia ex aliis excerpta feliciter & ingenioſe collegit, atque enodavit. At nuperrime Corſinus de iiſdem rite exponendis, excutiendiſque conſilium ſuſcepit; cumque in contemplandis veteribus Graecorum monumentis, aliiſque recenter editis longe uberiorem Notarum numerum deprehendere illi feliciter contigerit, integram ferme Notarum omnium collectionem iterum concinnavit, atque abſolvit, cum mille propemodum vocum compendia expoſuerit. Itaque ſi ſupervacaneum omnino videbatur Latinarum Siglarum ſeriem, & nummorum Graecorum hoc loco texere, cum ea ubique & commode haberi poſſit; ita opportunum fore atque perutile exiſtimavimus, ſi Notarum Graecarum recenſione a Corſino collectarum noſtras haſce Inſtitutiones exornaremus, & quod ea recens ſit, adeo-

V 2 que

(1) Biblioth. Latin. Lib. IV. cap. 6. pag. 446.

que in ceteris collectionibus nondum addita fuerit. Qua quidem in re ut Adoleſcentium commodo magis inſerviremus, Latinis nunc primum interpretationibus ſingulas illas Notas donavimus, quae tamen ex ipſo orationis contextu, nativoque Epigraphes ſenſu confirmari & illuſtrari debent, illique proinde accomodari. Ex hac vero compendiorum recenſione, quam modo exhibemus, & numerorum, & Chriſtianorum monimentorum Notas ſejunximus, quod eae ſuis locis in hoc Opere a nobis proferuntur.

A

A.	ὁ δεῖνα Δῆμος τῆς Ἀττικῆς	*Quidam Atticae Populus.*
A.	Ἀπὸ	*Ab.*
A.	Αὔλου	*Auli.*
A.	Αὐρήλιον	*Aurelium.*
A.	Ἀλωπεκεὺς	*Alopeceus Pop. At.*
A.	Αὐτοκράτορος	*Imperatoris.*
Ā.	Αὖλος	*Aulus.*
A.	Αἰλίῳ, aut Αἰμιλίῳ, aut Αὐρηλίῳ	*Aelio, aut Aemilio, aut Aurelio.*
ΑΛΟΥΝ.	Ἄλυμνος	*Alumnus.*
ΑΒΙΓΙС.	Ἄβιγις	*Abigis.*
ΑΓ.	Ἀγὼν	*Certamen.*
ΑΓΑΤ.	Ἀγαθὸν	*Bonum.*
ΑΓΓΕ.	Ἀγγελεὺς	*Ex Angele Pop. At.*
ΑΓΝ.	Ἀγνούσιος	*Agnuſius Pop. At.*
ΑΓΟΡΑΝ͞Ο.	Ἀγορανόμου	*Agoranomi.*
ΑΔΕΛΦ.	Ἀδελφὸν	*Fratrem.*
ΑΖΗΝΙ.	Ἀζηνιὰς	*Azenia Pop. At.*
ΑΘΗΝ.	Ἀθηναῖος	*Athenienſis.*
ΑΘΗΝΑΙ.	Ἀθηναῖος	*Athenienſis.*
ΑΙ.	Αἴλιος	*Aelius.*

AI.	Α'ιγεῖδαι	*Aegidae Pop. At.*
A.I.	Α'ειμνήςη	*Semper memoranda.*
AIΘ.	Α'ιθαλιδῶν	*ex Aethalidis P. A.*
AIΛ.	Α'ίλιος	*Aelius.*
AIM.	Α'ιμιλία	*Aemilia.*
AIΞO.	Αἰξωνεὺς	*Aexoneus Pop. At.*
AKYΛ.	Α'κύλιος	*Aquilius.*
AΛ.	Α'λωπεκεὺς	*Alopecenſis Pop. At.*
AΛE.	Α'λεξανδρεὺς	*Alexandrinus.*
AΛEΞANΔPE.	Α'λεξανδρεὺς	*Alexandrinus.*
AΛYΠ.	Α'λυπίου, vel Α'λυπιάνου	*Alypii, vel Alypiani.*
AΛΦ.	Α'λφηνὸν	*Alphenum.*
AΛϖ.	Α'λωπεκεὺς	*ex Alopece Pop. At.*
AM.	Α'μέρων, ſive κὰὶ Μηνῶν	*Dierum, ſive & Menſium.*
AMM.	Α'μμονίου	*Ammonii.*
ANAEΓΓPAΦ.	Α'ναεγραφέντι	*Conſtituto.*
ANEΘ.) ANEΘH.) ANEΘHK.)	Α'νέθηκε	*Poſuit.*
ANEMOY.	Α'νεμουρίου	*Anemurii.*
ANEΠ.	Α'νεπαύσατο	*Obiit.*
ANT.	Α'ντώνιον	*Antonium.*
ANTAΓΩNICT.	Α'νταγωνίςας	*Antagoniſtas.*
ANTIΘHΣ.	Α'ντίθησι	*Dicat.*
ANTIΣTPA.	Α'ντιςράτηγον	*Pro praetorem.*
ANTΩNI.	Α'ντωνίνου	*Antonini.*
ANTΩNEIN.	Α'ντωνείνου	*Antonini.*
AOY.	Α'νθυπάτου	*Proconſulis.*
AΠ.	Α'πολλωνιεὺς	*ex Apollonia P. A.*
AΠ.	Α'ππίου	*Appii.*
AΠE.	Α"ππιος, vel Λύκιος Γέλλιος	*Appius, vel Lucius Gellius.*

ΑΠΕΛ.

ΑΠΕΛ.	Α'πελευθέρῳ	*Liberto.*
ΑΠΕΛΕ.	Α'πελευθέροις	*Libertis.*
ΑΠΕΛΕΥ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΕΛΕΥΘ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡ.	Α'πελεύθερος	*Libertus.*
ΑΠΙ.	Α'πίοντος	*Exeuntis.*
ΑΠΟΛ.	Α'πολλωνιεὺς	*ex Apollonia Po. At.*
ΑΠΟΛ.	Α'πολλωνίȣ	*Apollonii.*
ΑΠΟΛΛΙΑΡ.	Α'πολλινάρις	*Apollinaris.*
ΑΠΡ.	Α'πρειλίων	*Aprilium.*
ΑΠΡΕΙ	Α'πρειλίων	*Aprilium.*
ΑΠΡЄΙΛ.	Α'πρειλίȣ	*Aprilis.*
ΑΡΑΒ.	Α'ραβίκȣ	*Arabici.*
ΑΡΙΣ.	Α'ριϛομήδης	*Ariſtomedes.*
ΑΡΤΕΜΩ.	Α'ρτέμωνος	*Artemonis.*
ΑΡΧ.	Α"ρχων, vel Α"ρχοντες	*Archon, vel Archontes.*
ΑΡΧΙΣ.	Α"ρχοντος	*Archontis.*
ΑΣΚΛΗ.	Α'σκληπιείοις	*Aſclepieis.*
ΑΤΟΙΣ.	Ε'αυτοῖς	*Sibimetipſis.*
ΑΥΓ.	Α'υγύϛων	*Auguſtarum.*
ΑΥΓ.	Α'υγύϛȣ	*Auguſti.*
ΑΥΓΟΥϹ.	Α"υγȣϛος	*Auguſtus.*
$\overline{\text{ΑΥΡ}}$.	Α'υρήλιον	*Aurelium.*
ΑΥΡ.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥR.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥΡΕ.	Α'υρελίῳ	*Aurelio.*
ΑΥΡΕΛ.	Α'υρέλιος	*Aurelius.*
ΑΥΡΗΛ.	Α'υρήλιον	*Aurelium.*
ΑΥΡΣ.	Α'υρήλιος	*Aurelius.*
ΑΥΓ.	Α'υτοκράτορι	*Imperatori.*
ΑΥΤΟΚ.	Α'υτοκράτορος	*Imperatoris.*
ΑΥΤϹ.	Α'υτὸς	*Ipſe.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤ.	Α'υτοκράτορα	*Imperatorem.*

ΑΦΙ.	Α'φιδναῖος	*Aphidnaeus Pop. A.t.*
ΑΦΛˢΦΑSC.	Φλαβίυ Α'ριοβίνδυ, Φλαβίου Α'σπαρος	*Flavii Ariobindi. Flavii Aſparis.*
ΑΦΡΟΔΕΙ.	Α'φροδείτυ	*Aphroditi.*
ΑΦΡΟΔΙCΙ.	Α'φροδισιάδος	*Aphrodiſiadis.*
ΑΧΑΡ.	Α'χαρνεὺς	*AcharnenſisAt.Pop*

B

B	f. Δευτεραίᾳ	*Poſtridie.*
B.	Βυλὴ	*Senatus.*
ΒΑΣΙΛ.	Βασιλεῖ	*Regi.*
ΒΑΣΙΛΕΟΔΩ.	Βασιλεόδωρος	*Baſileodorus.*
ΒΑΣΙΛΙ.	Βασιλικῷ	*Regio.*
Β.Δ.	Βυλῆς Δόγματι	*Senatus Conſulto.*
ΒΕΡ.	f. Βερενικίδης ex	*Berenicidis At.Pop.*
ΒΗΣ.	Βησαιεὺς	*Beſaeeus Att. Pop.*
ΒΗΣΑΙΕ.	Βησαιεὺς	*Beſaeeus Att. Pop.*
Β.Η.ΣΕΤ.	Ε'υσεΒΗΣ Ε'Υτυχὴς	*Pius felix.*
ΒΙC.	Βίσωμον	*Biſomum.*
Β.Κ.Μ.	f. Βετέρανος Κλάσσις Μισηνάτις	*Veteranus Claſſis Miſenatis.*
ΒΡΙΤ.	Βριτάννικον	*Britannicum.*
ΒΥΒΛΟ̄.	Βίβυλον	*Bibulum.*
ΒΩ.	Βώμυς	*Altaria.*

Γ

Γ.	Γερυσίας	*Senatus.*
Γ.	Γαίυ	*Gaii.*
ΓΑ.	Γαῖον	*Gaium.*
ΓΑΓΗ.	Γαληρίᾳ	*Galeria.*

ΓΑΡ.

ΓΑΡ.	)	
ΓΑΡΓΗ.	) Γαργήττιος	exGargetto At.Pop.
ΓΑΡΓΗΤ.	)	
ΓΑΡΓΗΤΙ.	)	
ΓΕ.	Γέλλιος	*Gellius.*
ΓΕΓΡ.	Γεγραμμένȣ	*Supraſcripti.*
ΓΕΛΛ.	Γέλλιος	*Gellius.*
ΓΕΡ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΕΡΜ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΕΡΜΑΝΙΚ.	Γερμάνικον	*Germanicum.*
ΓΗ.	Τῇ	
ΓΝ.	Γναῖος	*Gnaeus.*
ΓΝΑΙ.	Γναῖος	*Gnaeus.*
ΓΝΗΣ.	Γνησίῳ	*Legitimo.*
ΓΟΝΕ.	Γονέων	*Parentum:*
ΓΟΡ.	Γορπιαίȣ	*Gorpiaei.*
ΓΟΡΤΥ.	Γορτύεως, vel Γόρτυος	*Gortyis.*
ΓΟΡΤΥΝΙ.	Γορτυνίων	*Gortyniorum.*
ΓΡ.	Γραμματεὺς	*Scriba.*
ΓΡΑ.	Γραφεὺς	*Scriba.*
ΓΡΑΦ.	Γραφομήνῳ	*Scribundo.*
ΓΥΜΝΩ.	Γυμνικῷ	*Gymnico.*

Δ

Δ.	Διονυσίȣ	*Dyoniſii.*
ΔΑΙΜΟΝ.	Δαίμονος	*Genii.*
Δ.Ε.	Δημαρχικῆς Ἐξȣσίας	*Tribuniciae Poteſtatis.*
ΔΕΙ.	Δίες	*Dies.*
ΔΕΙΡ.	Δειραδιώτης	*Diradiotes.*
ΔΕΚ.	Δεκεμβρίων	*Decembrium.*
ΔΕΚΕΝΒΡΙ.	Δεκεμβρίας	*Decembres.*
ΔΕΞΗ.	Δεξηράτȣ	*Dexeratis.*

ΔΕΣΣ.

ΔΕΣΣ.	Δεσπότȣ	*Domini.*
ΔΕΣΠ̊Π̊.	Δεσπότων	*Dominorum.*
ΔΗ.	Δηίφοβος	*Deiphobus.*
ΔΗ.	Δηνάρια	*Denaria.*
ΔΗΛ.	Δηλίο pro Δηλίȣ	*Delii.*
ΔΗΜΑΡΧΙΚ.	Δημαρχικῆς	*Tribuniciae.*
ΔΗΜΟC.	Δημόσια	*Publica.*
ΔΗΝΑΡ.	Δηναρίοις	*Denariis.*
ΔΙΔ.	Διδύμης	*Geminae.*
ΔΙΟΚΛ.	Διοκλέȣς	*Dioclis.*
ΔΙΟΝ.	Διονυσίȣ	*Dionyſii, vel Dionyſodori.*
ΔΙΟΣΚΟΥΡ.	Διοσκȣρίδȣ	*Dioſcuridae.*
ΔΙΟΣΚΟΥΡ.	Διοσκȣ́ρων	*Dioſcurorum.*
Δ. Μ.	Δίις Μανίβȣς	*Diis Manibus.*
Δ. Μ. Σ.	Δίις Μανίβȣς Σάκρȣμ	*Diis Manibus Sacrum.*
Δ. Τ.	Δίι τῷ	*Iovi.*

E

E.	Ε'τῶν	*Annorum.*
E.	Ε'ς	*Ad.*
E.	Ε'κ	*Ex.*
E.	Ε'ποιεῖ, ſeu Ε'πόιησε	*Faciebat, ſive fecit.*
E.	Et	
Є.	Є'νθάδε, vel Є'κοιμήθη	*Hic, vel requievit.*
ΕΓΝΑΤ.	Ε'γνάτιον	*Ignatium.*
ΕΔ.	Εἰδῶν	*Idus.*
ΕΔΩ.	Ε'ξ Ω'ίȣ	*Ex Oëo At. Pop.*
ΕΖ.	Ε"ζησεν	*Vixit.*
ΕΖΗ.	Ε"ξησεν	*Vixit.*

EI.	Εἰδῶν	*Idus.*
EIΔ.	Εἰδῶν	*Idus.*
ΒΙΣΙΔΩΡ.	Εἰσιδώρυ	*Iſidori.*
ΕΚΚΗ.	Ε'κ Κηδῶν	*Ex Cedis Pop. At.*
ΕΚΚΟΙ.	Ε'κ Κοίλης	*Ex Coele Pop. At.*
ΕΚΤ.	Ε'κ τῆς	*Ex.*
ΕΚ̅.	Ε'κ τῶν	*Ex.*
ΕΛΕΥ.	Ε'λεύθερος	*Liber.*
ΕΝ.	Ε'νεκα	*Cauſſa.*
ΕΝ.	Ε'νθάδε	*Hic.*
ЄΝΙ.	Μηνὶ	*Menſe.*
ΕΞ.	Ε'ξ	*Ex.*
ΕΞΑΙΘ.	Ε'ξ Αἰθαλιδῶν	*Ex Aethalidis.*
ΕΞΕ.	Ε'ξάμηνον	*Semeſtre.*
ΕΞΕΠΙΤΑΓΜ.	Ε'ξ ἐπιταγῆς	*Ex iuſſu.*
ΕΞΟΙ.	Ε'ξ Ο'ιυ	*Ex Oëo Pop. At.*
ΕΞΥC.	Ε'ξουσίας	*Poteſtatis.*
ΕΠΙΕΙΚ.	Ε'πιεικίδης	*Epiicides Pop. At.*
ΕΠΙΣΤ.	Ε'πιςάτης	*Praefectus.*
ΕΡΓΑ.	Ε'ργασε	*Fecit.*
ΕΡΕΝ.	Ε'ρέννιον	*Herennium.*
ΕΡΕΝΝ.	Ε'ρέννιος	*Herennius.*
ΕΡΙ.	Ε'ρικαιεὺς	*Ericieus Pop. At.*
ΕΣΤΙΑΙ.	Ε'ςιαίυ	*Eſtiaei.*
ΕΤ.	Ε'τῶν	*Annorum.*
ЄΤЄ.	Ε'τελεύτα, ſive Ε'τελεύτησε	*Obibat, ſeu Obiit.*
ΕΤΕΛ.	Ε'τελεύτησεν	*Obiit.*
ΕΥΔΑΙΜ.	Ε'υδαίμονος	*Felicis.*
ΕΥΟ.	Ε'υόδιος	*Evodius.*
ΕΥΠΥ.	Ε'υπυρίδης	*Eupyrides Pop. At.*
ΕΥΣ.	Ε'υσέβη	*Pium.*
ΕΥC.Κ.	Ε'υσεβείας Χάριν	*Pietatis gratia.*
ΕΥΧΑ.	Ε'υχαρίδυ	*Eucharidis.*

ΕΦΛ.	Τ. Φλαούιος	*Titus Flavius.*
ΕΧΠΛΩΡ.	Ἐξπλωρατόρων	*Exploratorum.*
ΕΧΤΟ.	Ἐχαρίσατο, vel Ἐχώσατο	*Conceſſit, vel conſtruxit.*

Ζ

Ζ.	Ζήσαντι	*Qui vixit.*
ΞΗ.	Ζήσας	*Vivens.*
ΖΗΙ.	Ζήσας	*Vivens.*
ΖΗΣΑΝ.	Ζήσαντι	*Qui vixit.*

Η

Η.	Ἡμέρας	*Dies.*
Η̄.	Ἡμέρων	*Dierum.*
Η.	Ἡμέρας	*Dies.*
Η.	Ἡμέρας	*Dies.*
Η.	Ἡμέρας	*Dies.*
ΗΓΕΜΟ.	Ἡγεμόνι	*Praeſidi.*
Η̄Ηξιοιν.	Ἠξίουν	*Poſtulabant.*
ΗΗΩ.	Ἤτω	*Sit.*
ΗΜ.	Ἡμῶν	*Noſtrorum.*
ΗΜ.	Ἡμέρας	*Dies.*
ΗΜΕ.	Ἡμέρας	*Dies.*
ΗΜΕΡ.	Ἡμέραις	*Diebus.*
ΗΜΗΡ.	Ἡμέρων	*Dierum.*
ΗΜΥΣΥ.	Ἡμέρων ἕξ	*Dierum ſex.*
ΗΡΑ.	Ἡρακλευπόλεως	*Heracleopolis.*

Θ

Θ.	Θήκατο	*Poſuit.*
Θ.	Θεᾶ	*Dea.*

Θ.	Θυγάτηρ	*Filia.*
Θ.	Θάνοντα	*Mortuum.*
ΘΕ.	Θεοῖς	*Diis.*
Θ.Ε.	Θεοῖς Ε'πικυρίοις	*Diis iuvantibus.*
Θ.Μ.	Θεοῖς Μανίβυς	*Diis Manibus.*
ΘΕΑΜΑ.	Θεᾷ Μαγαρσίδι	*Deae Magarſidi.*
ΘΕΟΦΑΝΕΣΤ.	Θεοφανεςάτυ	*Divini.*
ΘΕΟΦΙΛΕC.	Θεοφιλεςάτυ	*Deo cariſſimi.*
Θ.Η.	Θεοῖς Η''ρωσιν	*Diis & Heroibus.*
Θ.Κ.)		
Θ.ΚΑ.)	Θεοῖς Καταχθονίοις	*Diis Manibus.*
Θ.ΚΑΤ.)		
ΘΚΥ.	Θεοῖς Καταχθονίοις	*Diis Manibus.*
ΘC.	Θεὸς	*Deus.*
ΘC ΚΑ.	Θεοῖς Καταχθονίοις	*Diis Manibus.*
Θ Κ.Χ.	Θεοῖς Καταχθονίοις	*Diis Manibus.*
ΘΥ.	Θυγατρὸς	*Filia.*
ΘΥΓΑΤ.	Θυγατρὶ	*Filiae.*

I

I.	Καὶ	*Et.*
I.	Γέρας.	*Sacra.*
ΙᾹ.	f. Φηγαιεὺς	*Phegaeeus Pop. At.*
ΙΑΙ.	Γαῖος	*Gaius.*
ΙΑΝ.	Ι'ανυαρίυ	*Ianuarii.*
ΙΑΡΑΚΑΤΙ.	Παρακατατίθεται	*Deponitur.*
ΙΔΙ.	Ι'δίῳ	*Suo.*
ΙΔΙΟ.	Ι'διότων	*Privati.*
ΙΜΟΚΡΑ.	Τιμοκράτυς	*Timocratis.*
ΙΜΡ.	Ι'μπεράτωρ	*Imperator.*
ΙΝΔ.	Ι'νδικτίωνι	*Indictione.*
ΙΟΥ.	Ι'υνίας	*Iunias.*
ΙΟῩ.	Ι'υλίυ	*Iulii.*

ΙΟΥΛ.	Ι῎ȣλιος	*Iulius.*
ΙΟΥΝ.	Ι᾽ȣνίων	*Iunias.*
ΙΣ.	Ι᾽σελάςικα	*Iſelaſtica.*
ΙΣΘ.	Ι᾽σθμίων	*Iſthmiorum.*
ΙCΙ.	Ι῎σιδι	*Iſidi.*
ΙΣΙΔΩΡ.	Ι᾽σιδώρȣ	*Iſidori.*
ΙΤΕΑ.	Ι᾽τεαῖος	*Iteaeus Pop. At.*
ΙΩΝ.	Ι᾽ωνίας	*Ioniae.*

K

K.	Καῖσαρ	*Caeſar.*
K.	Καταχθονίοις	*Manibus.*
K.	Καὶ	*Et.*
K.	Κουίντῳ	*Quinto.*
K.	Κλαυδίȣ	*Clandii.*
K.	Κώμης	*Vici.*
K.	Καῖος	*Caius.*
Ꝁ.	Καὶ	*Et.*
Ꝃ.	Καὶ	*Et.*
Ꝅ.	Καὶ	*Et.*
Ϗ.	Καὶ	*Et.*
K̄.	Κατὰ	*Secundum.*
KA.	Καὶ	*Et.*
KA.	Καταχθονίοις	*Inferis.*
KA.	Καλανδῶν	*Calendas.*
KA.	Κατὰ	*Secundum.*
KAI.	Καίσαρι	*Caeſari.*
KAI.	Κάτθανε	*Obiit.*
KAĪNC.	Καίνισε	*Renovavit.*
KAIΣ.	Καίσαρα	*Caeſarem.*
KAIC.	Καῖσαρ	*Caeſar.*
KAΛ.	Καλπέων	*Calpenſium.*
KAΛ.	Κάλλιςον	*Optimum.*

KAΛ.

ΚΑΛ.	Καλανδῶν,	*Calendas.*
ΚΑΛΑ.	Καλανδῶν	*Calendas.*
ΚΑΛΑΝ.	Καλανδῶν	*Calendas.*
ΚΑΛΑΝΔ.	Καλανδῶν	*Calendas.*
ΚΑΛΗ.	Καλήνιον	*Calenium.*
ΚΑΛΟΚ.	Καλοκαγαθοὶ	*Probi.*
ΚΑΛΠ.	Καλπυρνίῳ	*Calpurnio.*
ΚΑΡ.	Καρμίνιον	*Carminium.*
ΚΑΣΙ.	Κασίον	*Caſium.*
ΚΑΤ.	Καταχθονίοις	*Manibus.*
ΚΑΤ.	Κατοικοῦντες	*Qui habitant.*
ΚΑΤΑ.	Καταχθονίοις	*Inferis.*
ΚΑΤΑΘ.	Κατάθεσις	*Depoſitio.*
ΚΑΤΑΧ.	Καταχθονίοις	*Manibus.*
ΚΑΤΑΧΘ.	Καταχθονίοις	*Manibus.*
ΚΑΤΘ.	Κατάθεσις	*Depoſitio.*
Κ.Β.	Κελεύσματι βουλῆς	*Mandato Senatus.*
ΚЄ.	Καὶ	*Et.*
ΚЄ.	Καὶ	*Et.*
ΚΕ.	Καὶ	*Et.*
ΚΕΝΤΙΝΑΡ.	Κεντηναρίων	*Centenariorum.*
ΚΕΦ.	Κεφαλῆθεν	*ex Cephale Pop. At.*
ΚΗ.	Κηδῶν	*ex Cedis Pop. At.*
ΚΗΔ.	Κῆδος	*Sepulcrum.*
ΚΗΦ.	Κηφισιεὺς	*Cephiſienſis Pop. At.*
ΚΗΦΕΙΣΗΙ.	Κηφισιεύς	*Cephiſienſis Pop. At.*
Κ.Θ.	Καταχθονίοις Θεοῖς	*Inferis Diis.*
ΚΙ.	Κῖται	*Iacet.*
ΚΛ.	Καλανδῶν	*Calendas.*
ΚΛ.	Κλαύδιος	*Claudius.*
ΚΛΑΖ.	Κλαζομένιον	*Clazomenium.*
ΚΛΑC.	Κλάσσις	*Claſſis.*
ΚΛΑΤΔ.	Κλαύδιος	*Claudius.*
ΚΛΕΟΞΕΝ.	Κλεοξένου	*Cleoxeni.*

ΚΟ

ΚΟ.	Κοίντος	*Quintus.*
ΚΟΒΡ.	Κόβρεος	*Cobri.*
ΚΟΙ.	Κοίλης	*ex Coele Pop. At.*
ΚΟΛ.	Κολλτεὺς	*Colitteus Pop. At.*
ΚΟΜΝ.	Κομνήνυ	*Comneni.*
ΚΟΟΡ.	Κόορτος	*Cobortis.*
ΚΟΡΝΗ.	Κορνήλιον	*Cornelium.*
ΚΟΡΝΗΛΙΑΝ.	Κορνηλιάνυ	*Corneliani.*
ΚΟC.	Κονσυλιβυς	*Conſulibus.*
ΚΟΩΡΣ.	Κόωρτος	*Cobortis.*
Κ. Π.	Κελεύσματι Πόλεως	*Civitatis iuſſu.*
ΚΡΑΟΥ.	Κρατίςυ Ἀνθυπάτυ	*OptimiProconſulis.*
ΚΡΑΤ.	Κράτιςον	*Optimum.*
ΚΡΙΣ.	Κρίσεος	*Iudicio.*
ΚΥΔΑ.	Κυδαθηναιεὺς	*Cydatbenaeus P. A.*
ΚΥΙΝΤ.	Κυίντος	*Quintus.*
ΚΥΘ.	Κυθήριος	*Cytberius Pop. At.*
ΚΥΡ.	Κυρείνα	*Quirina. Rom. Trib.*
Κ. ΦΡ.	Κελεύσματι Φρατρίας	*Pbratriae iuſſu.*
Κ. Χ.	Κοινοῖς Χρήμασιν	*Communi ſumptu.*
Ι<.	Κώμη	*Vico.*
ΚΩ.	Κώμης	*ex Vico.*
ΚΩΡΑΥΛ.	Κωραύλης	*Tibicen.*
ΚѠC.	Κωνσυλίβυς	*Conſulibus.*

Λ

Λ.	Λυκάβας	*Annus.*
L.	Λυκάβας	*Annus.*
L.	Λέκιον	*Lucium.*
Λ.	Δῆμος τῆς Ἀττικῆς	*Populus Atticae.*
Λ.	Λέκιος	*Lucius.*
L.	Λέκιος	*Lucius.*

Λ.

Λ.·	Λοιπὰ	*Reliqua.*
ΛᾹΔΙΚΥC.	Λαοδικεὺς	*Laodicenſis.*
ΛΑΚΙ.	Λακιαδῶν	*ex Lacia Pop. At.*
ΛΑΜ.	Λαμπροτάτε	*Illuſtriſſimi.*
ΛΑΜΠ.	Λαμπρεὺς	*Lamprenſis At.Pop.*
ΛΑΜΠΡ.	Λαμπροτάτε	*Illuſtriſſimi.*
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤ.	Λαμπρότατον	*Illuſtriſſimum.*
ΛΓΕ.	Λέκιος Γέλλιος	*Lucius Gellius.*
ΛΕΓ.	Λεγιῶνος	*Legionis.*
Λ. ΕΓΝΑΤ.	Λ. Εʼγνάτιον	*Lucium Ignatium.*
Λ̄ΕΡΕΝ.	Λ. Εʻρέννιον	*Lucium Herennium.*
ΛΕΥ.	Λευκίε	*Lucii.*
ΛΕΥΚ.	Λευκονιεὺς	*Leuconienſis At. Po.*
Λ̄Ε̄ῩΡ̄Ο̄Ν̄.	Λευκίε Υ'ιὸν	*Lucii Filium.*
ΛΕΩ̄ΝΙ.	Λεωνίδε	*Leonidae.*
ΛΗΚΛΙΟΔΗ.	Βελὴ καὶ ὁ Δῆμος	*Senatus & Populus.*
ΛΙΒΑΝ.	Λίβανος	*Libanus.*
ΛΟ.	Λούκιος	*Lucius.*
ΛΟΔΙΚΕΥΙ.	Λαοδικεῖ	*Laodicenſi.*
ΛΟΥ.	Λουκίε	*Lucii.*
ΛΟΥΔ.	Λεδι	*Ludi.*
ΛΟΥΣΙ.	Λεσιεὺς	*ex Luſia At. Pop.*
ΛΥΣ.	Λυσανίας	*Lyſanias.*
ΛΥΣΑ.	Λυσανίε	*Lyſaniae.*

M

M	Μῆνας	*Menſes.*
M.	Μάρκος	*Marcus.*
M̄.	Μάρκον	*Marcum.*
M.	Μνημεῖον	*Monumentum.*
M̲.	Μηνῶν	*Menſium.*
MM.	Μῆνας	*Menſes.*
M.	Πρὸ	*Ante.*

M·

$\overset{\Lambda}{\mathrm{M}}$.	Μνᾶς	*Minas*.
$\overset{H}{\mathrm{M}}$.	Μηνῶν	*Menſium*.
$\overset{T}{\mathrm{M}}$.	Μνᾶς	*Minas*.
MA.	Ματρὶ	*Matri*.
MA.	Μαγαρσίδι	*Magarſidi*.
MAΓN.	Μαγνήτων	*Magneſiorum*.
MAI.	Μαΐων	*Maias*.
MAKEΔ.	Μακεδόνων	*Macedonum*.
MAKEΔON.	Μακεδονίας	*Macedoniae*.
MANΓON.	Μαγγόνων	*Mangonum*.
MAP.	Μαρτίων	*Martias*.
MAP.	Μάρκος	*Marcus*.
MAP.)		
MAPA.)	Μαραθώνιος	*Marathonius*.
MAPAΘ.)		
MAPK.	Μαρκέλλου	*Marcelli*.
MAPT.	Μαρτίων	*Martias*.
MAPTYP.	Μάρτυρες	*Teſtes*.
MAT.	Ματυτίνω	*Matutini*.
MATPIN.	Ματρινία	*Matrinia*.
ME.	Μενῶν	*Menſium*.
MB.)		
MEΓ.)	Μέγιστον	*Maximum*.
MEΓICT.)		
MEΛ.)		
MEΛI.)	Μελιτεὺς	*Melitenſis Pop. At.*
MEΛIT.)		
MLM.	Μέμμιος	*Memmius*.
MΓMM.	Μέμμιος	*Memmius*.
MH.	Μῆνας	*Menſes*.
MHN.	Μηνῶν	*Menſium*.

ΜΗ̄ΡΟΠΟΛ.	Μητροπόλει	*Metropoli.*
ΜΗΣ.	Μὴν, vel μεὶς	*Menſis.*
ΜΗC.	Μνήμης	*Memoriae.*
ΜΗΤ.	Μήτηρ	*Mater.*
ΜΗΤΡΟΔ.	Μητροδώρυ	*Metrodori.*
ΜΙΘΡ.	Μίθρα	*Mithra.*
ΜΝ.	Μῆνας	*Menſes.*
ΜΝΕΑΣ.	Μνείας	*Memoriae.*
ΜΝΗ.	Μνήμης	*Memoriae.*
ΜΝΗ.	Μνημεῖον	*Monumentum.*
ΜΝΗΜ.	Μνήμης	*Memoriae.*
ΜΝΗC.	Μνήμης	*Memoriae.*
ΜΝΙΑC.	Μνείας	*Memoriae.*
ΜΝΟC.	Μηνὸς	*Menſe.*
ΜΟΝ.	Μονηταρίων	*Monetariorum.*
ΜΟΣΧ.	Μόσχυ	*Moſchi.*
Μ͞Σ.	Μῆνας	*Menſes.*
Μ͞Σ.	Μάρτυρες	*Teſtes.*
ΜCΤΑCΙ. (P)	Ἡμέρας δέκα	*Dies decem.*
ΜΥΡΙ.	Μυῤῥινούσιος	*Myrrhinuſius P. At.*
Μ.Χ.	Μνήμης Χάριν	*Memoriae gratia.*

N

ΝΑΘ.	Νατιῶνε	*Natione.*
Ν.	ΝικηΦόρος	*Nicephorus.*
ΝΕ. / Ν͞Ε.	Νεώτερος	*Iunior.*
ΝΕΑ͞ΠΟΛ.	Νεαπολίτης	*Neapolitanus.*
ΝΕΟΚΟΥ.	Νεωκόρυ	*Neocori.*
ΝΕΟΣ.	Νεώτερος	*Iunior.*

ΝΕΩ.

NEΩ.	Νεωκόρος	*Neocorus.*
NI.	Νικήσας	*Qui vicit.*
NIB·	Ἰνδικτιῶνος	*Indictione.*
NOB.	Νοεμβρίων	*Novembres.*
NOBEMBP.	Νοβεμβρίων	*Novembres.*
N̄P̄.	Νεώτερος	*Iunior.*
NΩ.	Νώνας	*Nonas.*
NΩ.	Νωεμβρίου	*Novembris.*
NΩN.	Νώνων	*Nonas.*

Ξ

ΞΥΣΤΑΡΧ.	Ξυστάρχην	*Porticus Praefectum.*

O

OI.	Οἴου	*ex Oeo. Att. Pop.*
OIKAT.	Οἱ Κατοικοῦντες	*Qui habitant.*
OKTΩBP.	Ὀκτωβρίων	*Octobres.*
ONHΣIM.	Ὀνησίμου	*Oneſimi.*
OP.	Ὁρισάντων	*Qui decreverunt.*
OΥΑΛ.	Οὐαληρίου	*Valerii.*
OΥΙΓΙΛ.	Οὐιγίλων	*Vigilum.*
OΥΛ.	Οὔλπιος	*Vlpius.*
OΥΛΠ.	Οὐλπίου	*Vlpii.*
OΥΡΑΝ.	Οὐρανίῳ	*Caeleſti.*

Π

Π.	Πρὸ	*Ante.*
Π.	Πόδες	*Pedes.*
Π.	Πόβλιος	*Publius.*
Π.	Δῆμος τῆς Ἀττικῆς	*Atticae Populus.*
Π.	Δῆμος	*Populus Atticae.*

ΠΑ.	Πούβλιος Αἴλιος	*Publius Aelius.*
ΠΑ.	f. Παλαιολόγου	f. *Palaeologi.*
ΠΑΙ.	Πούβλιος Αἴλιος	*Publius Aelius.*
ΠΑΙΑ.	Παιανιεὺς	*Paeanienſis Pop. At.*
ΠΑΙΟ.	Παιονίδης	*Paeonides Pop. At.*
ΠΑΙΟΝΙ.	Παιονίδης	*Paeonides Pop. At.*
ΠΑΛ.	Παλατίνα	*Palatina.*
ΠΑΛ.	Παλληνεὺς	*Pallenenſis Pop. At.*
ΠΑΛΛΗ.	Παλληνεὺς	*Pallenenſis Pop. At.*
ΠΑΜΦΙΛ.	Πάμφιλος	*Pamphilus.*
ΠΑΝΚΡ.	Παγκράτιον	*Pancratio.*
ΠΑΝΤ.	Πάντων	*Omnium.*
ΠΑΠΙΡ.	Παπιρίου	*Papirii.*
ΠΑΡΑΜΙΘ.	Παραμιθίαν	*Conſolationem.*
ΠΑΡΑΠΡΟΣΤΑ.	Παραπροςάτα pro Παραπροςάτου	*Praeſidis.*
ΠΑΡΑΣΚΕΥ.	Παρασκευῆς	*Paraſceves.*
ΠΑΡΗΣ.	Παρῆσαν	*Adfuerunt.*
ΠΑΡΘ.	Πάρθικον	*Parthicum.*
ΠΑΡΟ.	Παροδεῖται	*Viatores:*
ΠΑΡΟΔΟΙΙ.	Παροδεῖτα, vel Παροδεῖται	*Viator, vel Viatores.*
ΠΔ.	Πόδας	*Pedes.*
ΠЄ.	Πέμπτον	*Quintum.*
ΠΕΙ.	Πειραιεὺς	*Piraeenſis Pop. At.*
ΠΕΙΡ.	Πειραιεὺς	*Piraeenſis Pop. At.*
ΠΕΝΤ.	Πένταθλον	*Pentathlo.*
ΠΕΡΓΑΣΗΘ.	Περγασῆθεν	*Ex Pergaſe At. Pop.*
ΠΕΡΙΒΛ.	Περιβλήπτου	*Spectabilis.*
ΠΗ.	Πήλεξ	*Ex Pelece At. Pop.*
ΠΙΤΘΕΥ.	Πιτθεὺς	*Pittheus At. Pop.*
ΠΙΤΤΑ.	Πιττάκου	*Pittaci.*
ΠΛΑ.	Πλάτος:	*Latitudine.*
ΠΛΑΤ.	Πλάτος.	*Latitudine.*

ΠΛΙ-

ΠΛ̅Ι̅ΛΙΑ.	Ποβλιλία	*Publilia.*
Π̊.	Πόβλιος	*Publius.*
Π̅Ο.	Πόδες	*Pedes.*
Π̿Ο.	Πόλιος	*Civitatis.*
Π̿̅Ο.	Πόβλιον	*Publium.*
ΠΟ̅.	Πόβλιος	*Publius.*
ΠΟΔ.	Ποδῶν	*Pedum.*
ΠΟΛΥΜΝΗ.	Πολυμνήςῳ	*Polymneſti.*
ΠΟΜ.	Πομπεῖος	*Pompeius.*
ΠΟΜΠΕΙ.	Πομπείῳ	*Pompeio.*
ΠΟΜΠΟΝ.	Πομπόνιον	*Pomponium.*
ΠΟΜΠΩ.	Πομπώνιον	*Pomponium.*
ΠΟΠ.	Ποπιλίου	*Popilii.*
ΠΟΡΙ.	Ποριεὺς	*Porieus Att. Pop.*
ΠΟΣ.	Ποσειδεῶνος	*Poſideone.*
ΠΟΣΤΟΥΜ.	Ποστόμιος	*Poſtumius.*
Π.Π.	Πατρὶ Πατρίδος	*Patri Patriae.*
Π. ΠΑΤ.	Πατέρα Πατρίδος	*Patrem Patriae.*
ΠΡ.	Πρὸ	*Ante.*
ΡΙ.	Πρὸ	*Ante.*
ΠΡ.	Πρεσβύτερος	*Senior.*
ΠΗΡ.	Πρὸ.	*Ante.*
ΙΡΙ.		
ΠΡ.	Πρὸ.	*Ante.*
ΠΡ.	Προγεγραμμένων	*Supraſcriptarum.*
Π̅Ρ.	Πατὴρ	*Pater.*
ΠΡΑΙΤΩΡ.	Πραιτωρίας	*Praetoriae.*
ΠΡΑΙΦΕΚΤ.	Πραιφέκτῳ	*Praefecto.*
ΠΡΕ.	Πρεσβύτερος	*Senior.*
ΠΡΕΣΒ.	Πρεσβευτὴν	*Legatum.*
ΠΡΙ.	Πατρίδι	*Patriae.*

ΠΡΙ-

ΠΡΙΔΙ.	Πατρίδι	*Patriae.*
ΠΡΙΜΙΓ.	Πριμιγήνιος	*Primigenius.*
ΠΡ.	Πρὸ	*Ante.*
ΠΡΟ.	Πρὸ	*Ante.*
ΠΡΟΓΕΓΡ.	Προγεγραμμένου	*Supraſcripti.*
ΠΡΟ ΓΙ.	Προάγει	*Procedit.*
ΠΡΟΞΕΝ.	Προξένου	*Proxeni.*
ΠΡΟΣΑΓΡ.	Προσαγραῖος	*Proſagraeus Po. At.*
ΠΡΟΤ.	Πρώτης	*Primae.*
Π.Τ.	Πορίσαντες Τόπον	*Dantes locum.*
Π.Υ.ΑΙΜ.	Πουβλίου Υἱὸς Αἰμιλία	*Publii Filius Aemilia.*

P

P.	Πούβλιος	*Publius.*
PA.	Ῥαβίριος	*Rabirius.*
PPIωN.	Ὀκτοβρίων	*Octobres.*
POΥ.	Ρουφίνου	*Rufini.*
PωM.	Ῥωμαῖος	*Romanus.*
PΩMΥ.	Ῥωμαίου	*Romani.*

Σ

C.	Cύμβιος	*Vxor.*
C.	Cοῦ.	*Tui.*
C.	Ἐνθάδε	*Hic.*
C.	Σωτείρας	*Servatricis.*
C.	Σεβαστῷ	*Auguſto.*
Σ.	Σμυρναῖος	*Smyrnaeus.*
ΣΑΡΑΠΙΔ.	Σαραπίδος	*Serapidis.*
ΣΑΤΥΡ.	Σάτυρος	*Satyrus.*
CE.	Σεπτεμβρίου	*Septembri.*
ΣΕΒ.	Σεβαστὰ, vel Σεβαστοῖς	*Auguſtalibus Ludis.*

ΣΕΒ.

ΣΕΒ.	Σεβαστοῖς	*Auguſtis.*
CЄBAC.	Σεβαστοῦ	*Auguſti.*
ΣΕΒΑΣΤ.	Σεβαστοῦ	*Auguſti.*
ΣΕΒΒ.	Σεβαστοῖν δυοῖν	*Auguſtorũ duorum.*
ΣΕΒΒΒ.	Σεβαστῶν τριῶν	*Auguſtorum trium.*
ΣΕΙΜΗΔΕΙΚ.	Σειμηδείκου	*Simedici.*
ΣΕΚ.	Σεκοῦνδος	*Secundus.*
ΣΕΞΤΙΛ.	Σεξτιλία	*Sextilia.*
ΣΕΟΥ.	Σεούηρον	*Severum.*
ΣΕΟΥΑΣ.	Σεουαστοῦ	*Auguſti.*
ΣΕΟΥΑΣΤ.	Σεουαστοῦ	*Auguſti.*
ΣΕΟΥΙ.	Σευήρῳ	*Severo.*
ΣΕΠ.	Σεπτεμβρίου	*Septembris.*
CΕΠΤ.	Σεπτεμβρίους	*Septembres.*
CΕΠΤΕ.	Σεπτεμβρίων	*Septembres.*
ΣΕΠΤΙΜ.	Σεπτίμιον	*Septimium.*
ΣΕΡΑ.	Σεραπιῶνος	*Serapionis.*
ΣΗΛ.	Σελήνη	*Lunae.*
CI.	Cοῦ	*Tui.*
CΚΙΑΝΘΙ.	Σκιανθινοῦ	*Schanthici.*
ΣΜΥΡ.	Σμυρναίων	*Smyrnenſium.*
ΣΟΥΝ.	Σουνιεὺς	*Sunieus At. Pop.*
ΣΠΑΘΑΙΩ.	Σπαθαρίῳ	*Spathario.*
ΣΠΕΙΡ.	Σπείρας	*Cobortis.*
ΣΡΙΑΣ.	Σωτηρίας	*Salute.*
ΣΣ.	Συγκλήτου Συγχωρήσει	*Senatus permiſsu.*
ΣΣ.	Βίσωμον	*Biſomum.*
Σ. Τ.	Στεφανωθεὶς	*Coronatus.*
ΣΤ.	Στατίου	*Statii.*
CΤΑ.	Στάτιος	*Statius.*
ΣΤΑΤ.	Στάτιος	*Statius.*
ΣΤΕΙ.	Στειριεὺς	*Stirienſis Pop. At.*
ΣΤΕΛ.	Στελλατίνᾳ	*Stellatina.*

ΣΤΕΦ.

ΣΤΕΦ.	Στέφανοι	*Coronae.*
ϹΤЄΦΑΝ.	Στέφανος	*Corona.*
ϹΤΗ.	Є̓́τη	*Annos.*
ΣΤΡΑ.	Στράτηγον	*Praetorem.*
ΣΤΡΑΗ͞ΟΝ.	Στράτηγον	*Praetorem.*
ΣΤΡΑ͞Τ.	Στρατονίκης	*Stratonices.*
ΣΤΡΑΤΩ.	Στρατωνίκης	*Stratonices.*
ΣΥΜΒΟΥΛΙΟΓ. Α Ρ.	Συμβολαιογράφος	*Scriba Contractuum*
ΣΥΡ.	Σύρος	*Syrus.*
ΣΩ.	Σῶμα	*Corpus.*

T

T.	Τάλαντον	*Talentum.*
T.	Τίτου	*Titi.*
Ṫ.	Τίτον	*Titum.*
T.	Τῆς	
T̑.	Τῆς, τῶν	
T.	Τῇ	
T.	Τὸ	
ΤΑΙΕΡ.	Ἰατὴρ	*Medicus.*
ΤΑΡΓΗΛ.	Ταργηλιῶνος	*Targelionis.*
Τ.Δ.Β.Κ.Δ.Ε.	Τῷ Δόγματι Βυλῆς Καὶ Δόγματι Ἐκκλησίας	*Decreto Senatus & Decreto Concionis.*
ΤΕ.	Τέρμων	*Terminus.*
ΤΕ.	Σεβαςῷ	*Augusto.*
ΤΕΙΜ.	Τειμὰς	*Honores,*
Τ.Η.	Τῇ	
ΤΙ.	Υἱῷ	*Filio.*

TI.

Digitized by Google

TI.	Τιβέριος	*Tiberius.*
TIB.	Τιβέριος	*Tiberius.*
TIBEP.	Τιβερίου	*Tiberii.*
TI ΗΟΙ.	Πρὸ Ι	*Pridie.*
Ꝁ.	Ἐκ τῶν	*Ex.*
T.K.I.	Τιβερίῳ Κλαυδίῳ Ἰνάχῳ	*Tiberio Claudio Inacho.*
TNEΥM.	Πνεῦμα	*Spiritus.*
T̊.	Τὸ	
TPA.	Τραιάνου	*Traiani.*
TPAIAN.	Τραιάνου	*Traiani.*
TPI.	Τῇ πρὸ	*Ante.*
TPIE.	Τριεράρχης	*Claſſis Praefectus.*
TPINE.	Τρινεμεὺς	*Trinemeus At. Pop.*
TPOΦI.	Τρόφιμος	*Trophimus.*

Υ

Υ.	Ὑπὲρ	*Ad.*
Υ.	Υἱὸν	*Filium.*
Ῡ.	Υἱὸς	*Filius.*
Υ.	Τίτον	*Titum.*
Ϋ.	Ὑπατείᾳ vel Ὑπάτου	*Conſulatu vel Conſule.*
Υ.Β.	Ὑπομνήματι Βουλῆς	*Decreto Senatus.*
Υ.Β.Δ.	Ὑπὸ βουλῆς Δόγματι	*Ex Senatus Decreto*
ΥΠ.	Ὑπὸ	*A.*
ΥΠ.	Ὑπάτῳ	*Conſule.*
ΥΠΑ.	Ὑπάτον	*Conſulem.*
ΥΠΑΤ.	Ὑπατείᾳ	*Conſulatu.*
ΥΠΑΤ.	Ὑπάτοις vel Ὑπάτοιν	*Conſulibus.*
ΥΠΑΤΟ.	Ὑπάτον	*Conſulem.*
ΥΠΟ ΑΑΜΑ.	Ὑπόμναμα	*Monumentum.*

ΥΠΠ.	Ὑπάτων	*Conſulibus.*

Φ

Φ.	Φρυγίᾳ	*Phrygiae.*
φ.	Φλάβιον	*Flavium.*
Φ.	Φεβρουαρίων	*Februarias.*
ΦΑ.	Φάβιος	*Fabius.*
ΦΑΛΗ.,	Φαληρεὺς	*Phalereus Pop. At.*
ΦΑΡΝΑ.	Φαρνάκου, vel Φαρναβάζου	*Pharnaci, vel Pharnabazi.*
ΦΕ.	Ω Ε	*Horas quinque.*
ΦΕΒΡΣ.	Φεβρουαρίων	*Februarias.*
ΦΕΙΔΙ.	Φειδίου	*Phidiae.*
ΦΗΓ.	Φηγούσιος	*Pheguſius At. Pop.*
ΦΗΓ.	Φηγαιεὺς	*Phegaeeus At. Pop.*
ΦΗΓΑΙ.	Φηγαιεὺς	*Phegaeeus At. Pop.*
ΦΗΛΙ.	Φήλικος	*Felicis.*
ΦΙΛΑ.	Φιλαΐδης	*Philaides At. Pop.*
ΦΙΛΗΜΩΝ.	Φιλήμωνος	*Philemonis.*
ΦΙΛΟΣΟΦ.	Φιλοσόφος	*Philoſophus.*
ΦΙΛΟΣΤΟΡ.	Φιλοστόργιος	*Philoſtorgius.*
ΦΙΛΟΣΤΡΑΤ.	Φιλοστράτου	*Philoſtrati.*
ΦΛ.	Φλαβία	*Flavia.*
ΦΛ.	Φλάβιος	*Flavius.*
ΦΛ.	Φλυεὺς, ſive Φλιάσιος	*Phlyeus, vel Phliaſius At. Pop.*
ΦΛΑ.	Φλαβίῳ	*Flavio.*
ΦΛΑΒ.	Φλάβιος	*Flavius.*
ΦΛΑΜ.	Φλάμην	*Flamen.*
ΦΛΑΥ.	Φλάυιος	*Flavius.*
ΦΛΑΥ.	Φλάυιον	*Flavium.*
ΦΛΥ.	Φλυεὺς	*Phlyeus At. Pop.*
ΦΟΥΛΒ.	Φούλβου	*Fulvi.*

ΦΥ.

ΦΥ.	Φυλὴ & Φυλέτης	*Tribus vel Tribulis.*
ΦΥ.	φυρνεὺς	*Phyrneus At. Pop.*
ΦΥΛΑΡΧ.	Φυλάρχων	*Tribus Princeps.*
ΦΥΛΑΣΙ.	Φυλασίυ	*Phylaſii At. Pop.*
ΦΥΡΝ.	Φυρνεὺς	*Phyrneus At. Pop.*
ΦΩΣΦ.	Φωσφόρυ	*Phoſphori.*

X

X.	Χάριν	*Gratia.*
X.	Δηνάρια	*Denaria.*
Ж.	Δηνάρια	*Denaria.*
X.	Κατάθεσις, vel Χωρίον	*Depoſitio, vel Locus.*
X̄.	Χιτόνιος	*Chitonius At Pop.*
ΧΑΡ.	Χάριν	*Gratia.*
ΧΕΙΛ.	Χειλιάρχῳ	*Tribuno.*
ΧΕΙΡ.	Χειρυργὸς	*Chirurgus.*
ΧΟΛΑΡ.	Χολαργεὺς	*Cholargenſis At. P.*
ΧΟΡ.	Χόρτος	*Cohortis.*
ΧΣ ΥΠ Γ.	Χειροτονηθέντος ὑπὸ Γερουσίας	*A Senatu electi.*

Ψ

ΨΑΦΙ.	Ψαφιδεὺς	*Pſaphideus.*
Ψ. Β.	Ψηφίσματι Βουλῆς	*Decreto Senatus.*
ΨΗ. Β.	Ψηφίσματι Βουλῆς	*Decreto Senatus.*

Ω

Ω.	Ὥρας	*Horas.*
Ω.	Ὠκτοβρίαις	*Octobribus.*
ΩΑΘ.	Ὤαθεν	*Ex Oa At. Pop.*
ΩΡ.	Ὥραις	*Horis.*
ῶ.	Ὥρας	*Horas.*

CAPVT IV.

De quibuſdam obſcurioribus Siglis in Graecis Latiniſque nummis, quarum nonnullae explicationes adhuc dubiae, aliae vero omnino falſae cenſeri debent.

ESſe quamplurimos qui de Latinorum Graecorumque nummorum ſiglis recenſendis explicandiſque cogitaverint, quique provinciam hanc utiliſſimam egregie occupaverint, uberrime ſuperiori capite a nobis demonſtratum fuit. Verumtamen cum in eorum interpretationibus, non una ſemper eademque ſit illorum opinio, & quandoque ab ipſis erratum fuerit; permagni intereſt, ut ſtudioſi Adoleſcentes apprime calleant, quae adhuc dubiae, quaeque omnino falſae ex iis explicationibus ſint habendae. Cum enim huiuſmodi libri, qui has interpretationes complectuntur neque rari ſint, adeoque inter ſtudioſorum manus commode verſari poſſint, & Cl. auctoris nomine aliorumque iudicio commendentur, verendum ne Adoleſcentibus aut celebre auctoris nomen, aut aliorum de iisdem iudicium facile imponat. Hoc autem eo proclivius contingere poteſt, quod licet acutiſſimi viri non defuerint, qui has explicationes ad incudem revocaverint, eaſque penſitaverint, & opportune correxerint, cum tamen caſtigationes illae ſeorſim variiſque in locis plerumque inveniantur, eae nullo negotio Adoleſcentulos fugere poſſunt. Quare Antiquitatis cultoribus maxime conſulere, eiſque opportuniſſimam opem praeſtare credidimus, ſi hoc loco utiliores nonnullorum ſapientum hominum animadverſiones perſtringamus, quibus vel adhuc dubiae, vel omnino falſae oſtenduntur, plurimae ſiglarum interpretationes, quae in variis Graecorum, Latinorumque nummorum collectionibus habentur, & tamquam legittimae ac verae praedicantur. Qua quidem in ſparta adornanda plurimum debere ingenue fatemur Gallo illo ſapientiſſimo, & in nummis inſpiciendis explicandiſque apprime verſato, qui nummorum Scientiam a Cl. Iobert Gallico ſermone editam, hiſtoricis & criticis obſervationibus, doctis quidem & eruditis, non multis ab hinc annis locupletavit; quod plurima hoc loco ab eo mutuati ſumus.

MKIA. MK. In nummis Ariarathis. Μάζακα Καππαδοκίας. *Mazaca*, nempe Caeſarea, *Cappadociae*. Anno XI. ſcilicet regis

gis Ariarathis. Ita Harduinus (1). Dubia explicatio cum litterae MK quas ille *Mazaca* interpretatur, etiam occurrant (2) in nummis Mithridatis Evergetis, qui numquam Cappadociae rex fuit, licet eius ſucceſſores ad breve tempus regnum illud tenuerint.

ΕΝΠ ΑΘΜΩΔΑ. In nummo Septimii Severi (3): Ἐφεσίων Νεωκόρων Ποβλίῳ ΑΘΜΩΔΑ. *Epheſiorum Neocororum &c.* Qui ita vertunt, priores tres litteras initiales a reliquis dividunt, & *Athmodas* propium Graeci Magiſtratus nomen eſſe credunt. Nihil hac interpretatione incertius, cum in nummis Epheſiorum, qui frequentes occurrunt, nullus inveniatur, in quo Epheſiorum nomen per ſimplicem litteram initialem E efferatur, ac nomen illud Magiſtratus prorſus ignotum apud Graecos fuerit.

ΑΜΚ. ΓΒ. ΓΓ. Quot viri clariſſimi priores tres litteras interpretati ſunt, ut Triſtanus, Patinus, Harduinus, Noriſius, Haym, Bandurius, Spanhemius, in totidem diverſas abiere ſententias; quare ex hoc opinionum conflictu veram explicationem nondum affulxiſſe concludi debet. Interim ſententia Spanhemii (4), qui has notas vertit: Πρώτης Μεγίστης Κιλικίας, *Primae Maximae Ciliciae*, veriſimilior haberi poterit. Reliquas duas litteras ΓΒ. ΓΓ Toinardus reddit (5) Γράμματι Βουλῆς, & Γνωμῇ Γερουσίας; rectius vero Noriſius (6): Γνωμῇ Βουλῆς, & Γνωμῇ Γερουσίας, *Decreto Senatus*. Idem ac in nummis Romae cuſis: *Senatus Conſulto*, & in Coloniarum nummis *Decreto Decurionum*.

ΑΥΤ. Κ. ΓΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟϹΙΑΝΟϹ. In nummis Voluſiani. Vaillantius (7), quem Bandurius & Spanhemius ſequuntur, reddit: Αὐτοκράτωρ Καίσαρ Γανδαλικὸς Φιννικὸς Γαλενδικὸς Ουενδενικὸς Ουολουσιανὸς. *Imperator Caeſar Gandalicus, Phinnicus, Galendicus, Vendenicus, Voluſianus*; quae nomina a totidem devictis populis Voluſiano delata cenſet. Verum cum haec gentium nomina neque per Geographiam, neque per Hiſtoriam ſatis liquido innoteſcant, cumque pro monimentorum more poſt Imperatoris familiae nomen tituli illi apponi debuiſſent, ſatius eſt Harduino adhaerere, qui vertit: Αὐτοκράτωρ Καίσαρ Γαίος Φίννιος Γάλλος Οὐένδιξ. *Imperator Cae-*

(1) Opp. Select. pag. 42. & 42. (2) Vid. Vaill. Hiſt. Reg. Pont. Tom II. pag. 61. (3) Apud Vaill. Num. Graec. pag. 85. (4) Orb. Rom. ex II. Cap. 16. pag. 422. (5) Apud Noriſ. Epoch. Syromac. Differt. IV. Cap. I. pag. 369. (6) Loc. cit pag 375. (7) Num. Pr. Tom. II. pag 351.

Caeſar Caius Phinnius, *Gallus*, *Vindex*; atque ea nomina in Voluſianum derivata ex illius gentis origine conatur oſtendere. Attamen Froelichius (1) dum alterum nondum editum Voluſiani nummum profert, in quo integre I ΑΛΛΟC legitur, atque inſuper habetur huiuſmodi ſigla ΓΑ. ad Vaillantii ſententiam accedendum eſſe putat, eamque ſiglam interpretatur, *Galindicus*.

ΕΤΜΕ. In nummo Iunioris Iubae Mauritaniae regis. Harduinus: Ἕνωσις Μαυρετανίας τῆς Ἑκατέρας. *Vnio Vtriuſque Mauritaniae*, quod rex ille utrique Mauritaniae primus imperaverit. Alii native magis, & vere reddunt: ΕΤΟΙΣ ΜΕ. *anno* 45 quae Epocha apprime congruit cum illius principis aetate in imperio (2).

ΚΟΛΩ. ΜΑΡ. ΕΔΕ. In nummis Caracallae. Nonnulli reddunt: *Colonia Marco-Aurelia Edeſſa*. Rectius Vaillantius (3): *Colonia Marcia*, ſeu *Marciana Edeſſa*. Etenim cum in aliis Caracallae nummis diſtincte habeatur: ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΕΔΕCCΑ. hic vero tantummodo ΜΑΡ. veriſimilius eſt per ΜΑΡ. hoc loco primum tantum ex duobus illis Coloniae nominibus deſignari.

Ε.Π. ΑΙ. ΠΟΝΤΥΚΟΥ. Η. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. In Byzantino nummo Lucillae. Vaillantius (4) expoſuit: *ſub Aelio Poncico Octavum* Archonte. *Byzantiorum*. Verumtamen cum idem Ponticus cum littera Β, nempe *iterum* Archon, ſub Commodo occurrat, cumque vix fieri potuerit, ut ſub Lucilla *octavum*, & ſub Commodo *iterum* Archon eſſet, veriſimilius exiſtimat Froelichius (5) per litteram Η, non *octavum*, ſed Ἡγεμόνος *Praeſide* eſſe legendum: qui Magiſtratus in Thraciae nummis conſignari ſolet. Opinionem ſuam validis quidem & egregis argumentis confirmat.

Δ. Ε. Δήμου εὐχῇ. In nummis Antiochiae poſt Caracallam cuſis, in quibus etiam litterae S.C. occurrunt. Harduinus (6): *Populi Rogatu*, aut *Voto Publico*, *Senatus Conſulto*. Alii Δόγματι ἐπαρχίας: *Decreto Provinciae*. Neutra interpretatio ſatis firma, cum nihil adhuc ab illarum patronis allatum fuerit, quod eas clare ſolideque confirmet. Optandum maxime ut huiuſmodi explicationes, quas duobus illis elementis contineri contendunt, integris litteris, aut in nummis, aut apud Graecos ſcriptores invenirentur.

F. C.

(1) Append ad Num. Vrb. Graec. loq. pag. 349. (2) Vid. Remarq. Hiſtor. Crit. alla Scien. des Medaill Tom. II. pag. 201. (3) Num Col. Tom. II. pag 120. (4) Num. Gr. pag. 66. (5) Loc. ſupra cit. pag. 220. (6) Opp. Sel. pag 824.

F.C. In nummis Antonii, & Octavii Caeſaris Triumviri, in Sicilia cuſis, in quibus etiam navis viſitur. *Frumento Convehendo*, vulgo redditur. Sic ut exemplum unum afferam: M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. F.C. M. *Oppius Capito Propraetore Praefectus Claſſis Frumento Convehendo*. Alii corrigunt: *Praefectus Claſſis Foederatarum Copiarum*. Nonnulli ut Vaillantius, Morellius, Havercampius: *Praefectus Claſſis Fieri Curavit*. Sunt qui reponunt: *Feriendum Curavit*, nempe nummum: Nulla ex iis interpretationibus adhuc ſatis clare demonſtrata.

PSSC. In nummo Auguſti, in quo eſt ſtatua cum nominibus Lollii & Domitii: *Poſuere Suffetes Carthaginis*: ita Vaillantius (1), quia nummum Carthagine cuſum exiſtimat. Sed tunc rectius legi poſſet: *Poſuere Suo Sumptu Carthaginenſes*. Qui nummum alibi percuſſum volunt, reddunt: IIVIRI, nempe Lollius, & Domitius, *Poni Suo Sumptu Curavere*. Verti etiam poſſet: *Publico Sumptu Statuam Collocaverunt*, ut ſaepius apud Gruterum (2).

DDPP. In nummis Tiberii Vticae cuſis. *Decuriones Poſuere*. Sed alii fortaſſe melius: *Decreto Decurionum, Pecunia Publica*.

C. A. A. P. In nummo Auguſti. *Colonia Prima Auguſta Patrenſis*, ubi A pro numero I Graecorum more ſumitur, atque ita correcta fuit antiquior illa interpretatio, nempe *Colonia Aroe*, ſcilicet Patrae, *Auguſta Patrenſis*. Sed aeque dubia, niſi falſa, eſt recens huiuſmodi explicatio, cum littera A pro numerali, numquam a Latinis adhibita fuerit in inſcriptionibus, ubi reliquae litterae omnes Latinae forent; & in nummis Traiani, Antonini Pii, M. Aurelii Caeſarae percuſſis integre & Latine ſcribitur: COLONIA PRIMA AVGVSTA CAESAREA.

VCRIMOR, & VCRIMPR. In nummis Aureliani cum Vabalathi effigie in altera parte. *Vice Caeſaris Rector Imperii Orientalis*, aut *Vice Caeſaris Rector Imperii Romani*. Quantum a veritate aliena ſit haec explicatio, praeter alia, hoc unum ſatis declarat, quod in Vabalathi nummis probe inſpectis legatur: VCRIMDR.

XC. VI. In nummis Diocletiani & Maximiani, & Conſtantii Chlori Caeſaris. *Decennalibus Conſtantii Vota Imperii*: Harduinus (3). Sed veriſimilius coniiciunt ii, qui legunt: *Decennalibus Caeſarum Vota Imperii*. Cur enim Vota Decennalia Conſtantii in nummis Diocletiani, & Maximiani ſignantur, minime vero Vota Decennalia illorum Auguſtorum in nummis Con-

(1) Col. Tom. I pag. 48. (2) Pag. 353. num. 4. (3) Opp. Sel. pag. 450.

Conſtantii, cum viciſſim in eorum numiſmatibus inſcribi debuiſſent? Accedit quod numquam in nummis Galerii Maximiani Vota decennalia exprimuntur, per has litteras initiales: XM. VI. *Decennalibus Maximiani Vota Imperii*; eo ferme modo, quo per hos caracteres XC. VI. Conſtantii Decennalia exhiberi exiſtimatur; praeſertim cum e nummis evincatur (1), Vota non modo pro Galerio, verum etiam pro eius Collega nuncupata & ſoluta fuiſſe.

CIHS. In nummis inferioris aevi. *Cives Hoſpiti ſuo*. Ingenioſa magis, quam vera explicatio. Etenim nemo in animum inducet ſuum, Imperii urbes *Hoſpitis* nomine Auguſtos ſuos adeo familiariter nuncupaſſe, niſi id clarius ex aliis monumentis, aut ex ſcriptoribus eruatur.

C.V.T.T. In nummis Tarraconis. *Colonia Victrix Tyrrhenica*, aut *Togata*, *Tarraco*: Antonius Auguſtinus (2). Nonnulli recentiores: *Colonia Victrix Turrita Tarraco*. Sed praeferenda Auguſtini explicatio, quae Strabonis teſtimonio innititur (3).

C.A.R. & C.A.I. In nummis Tiberii. *Colonia Aſta Regia*, & *Colonia Auguſta Iulia*. Harduinus, aliique. Sed corruit omnino haec explicatio, cum moneat Villantius (4), Patinum & Mediobarbum, qui eos nummos iis notis inſcriptos referunt, prorſus hallucinari, cum in omnibus huiuſmodi Tiberii nummis eximie ſervatis, aperte legatur: C. A. E. *Colonia Auguſta Emerita*.

SAL. aut SA. In nummis Sexti Pompeii. *Salus*: ita communiter. Sunt qui vulgarem hanc explicationem corrigunt, redduntque: *Salduba*, Hiſpaniae urbs, quae poſtea Caeſar-Auguſta dicta fuit. Alii *Salacius*, ideſt marinus, quod Sextus Pompeius Claſſis imperium obtinuerat; ſed priori explicationi adhaerendum, donec veriſimilior non prodeat.

MAC. AVG. In nummo Neronis. *Macellum Auguſti*; Erizzus (5). Harduinus vero; *Mauſoleum Caeſaris Auguſti*. Eruditi fere omnes Erizzo aſſentiuntur, cuius momenta luculenter congeſſit vir ſapientiſſimus (6).

ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB P. CIR. CON. In nummis Hadriani. Valeſius (7) reddit: *Anno 874. Natali Vrbis Romae Circenſes Conceſſi*. Sed reiicienda haec explicatio cum pro littera

(1) Vid. Band. Num. Impp. Tom. II. pag. 143. (2) Dialog. 7. (3) Apud Vaill. Num. Col. Tom. I. pag. 661 (4) Loc. cit. pag. 75 (5) Dichiaraz. di Medag pag. 117. (6) Vid Remarq. Hiſt & Crit alla Seien des Medaill. Tom. II. pagi 171. (7) In Comm. ad Amm. Lib. I. Cap. 35.

tera P, quae clare apparet, perperam reponat R. Vaillantius (1): *Anno* 874. *Natali Vrbis Populo Circenſes Conceſſit*, nempe Hadrianus. Sed aegre haec etiam explicatio ſuſtineri poterit. Circenſes enim ludi ſaepiſſime frequentabantur, ideoque credi vix poterit, ut recordatio rei adeo vulgaris publicis monimentis conſervanda mandaretur. Harduinus (2): *Anno* 874. *Natali Vrbis Plebeii Circenſes Conſtituti*. Sed obſtat huic interpretationi, quod *Plebeii* nomen, numquam in monimentis per ſolam litteram P deſignatur, quodve Circenſes ludi aeque Plebem, ac Senatum & Equeſtrem ordinem reſpiciebant. Ludi enim qui *Plebeii* dicebantur multis poſt annis inſtituti ſunt, atque 15. Novembris die celebrari conſueverunt. Rectius ergo alii: *Anno* 874. *Natali Vrbis Primum Circenſes Conſtituti*. Quod ſcilicet Hadrianus diem Vrbis natalem Paliliis tantum feſtis olim ſolemnem, ſplendidiori deinde ritu, & publicis praeſertim Circenſibus ludis impoſterum celebrari voluerit. Suffragatur huic opinioni praeter alia momenta graviſſima, quod in Kalendariis ante Hadrianum nunquam Circenſes ludi ſignati inveniantur in die Vrbis natali, poſt ipſum vero occurrunt, ut in Kalendario a Patavio, & Bucherio edito, in quo legitur: N. VRB. C. M. XXIIII. *Natali Vrbis Circenſes Miſſus* 24.

COL. H. LEG. H. In nummo Hadriani. Nonnulli olim legebant: *Colonia Helvia;* alii: *Colonia Heliopolis*, *Legio Heliopolis*. Recentiores; *Colonia Heliopolis*, *Legionis Octavae*. *Colonia Heliopolis*, *Legio Octava*. Poſtrema explicatio, quae aliis monumentis mirifice illuſtratur, ceteris anteponenda. Littera H pro numerali Graecorum nota uſurpatur.

CER. PER. In nummis aliquibus Sidonis in Phoenicia cuſis, & in duobus Elagabali, itemque in uno Anniae Fauſtinae. Vaillantius (3); *Certamen Periodonicum*: vox barbara, & prorſus ignota. Harduinus (4): *Certamen Perpetuum*. Veriſimilius profecto: *Certamen Periodicum*, ut in erudita diſſertatione doctiſſimus vir demonſtravit (5).

DIVO ROMVLO NV. FILIO. & NVBIS CONS. In nummis Romuli Maxentii filii. Triſtanus (6) ſecundam inſcriptionis partem interpretatur: *Noſtrae Vrbis Conſervatori*, ubi artificis vitio litteram R omiſſam credit, quod admitti minime debet,

A a cum

(1) Num. Pr. Lib. I. pag. 63. (2) Opp. Sel. pag 617. (3) Colon. Tom II. pag 90. (4) Opp. Sel pag. 156. (5) Vid. Memoir. de l' Acad. des Bell. Lett. Tom. V. pag. 277. (6) Comm. Hiſt. Tom. III. pag. 469.

cum in omnibus Romuli nummis haec littera deſideretur. Noriſius [1]: *Nobiliſſimo Conſuli*, quo loco pro littera V, reponit O. Verum cum omnes Romuli nummi habeant V, viro ſapientiſſimo aſſentiri non poſſumus. Harduinus [2]; *Noſtrae Vrbis Bis Conſuli*; Sed in hac explicatione nonnulla ſupponuntur, quae minime omnium, veri quidem ſimilia videri poſſunt. Quid quod apud Bandurium [3] habetur alter Romuli nummus, in quo legitur: DIVO ROMVLO NVB. AVG. An ne legendum: *Noſtrae Vrbis Bis Auguſto*? Nulla igitur ex iis interpretationibus admittenda, ſed uberior lux ex aliis eruendis monumentis optanda eſt.

DDEX. CON. C. C. I. B. In nummis Neronis Babbae in Mauritania Tingitana cuſis. *Decreto Decurionum*, vel *Decuriones Ex Conſenſu Coloniae Campeſtris Iuliae Babbae*. Ita vertunt nonnulli, corriguntque antiquiores alias interpretationes minus ſane probabiles. Vaillantius [4] tamen iis in nummis ordine paulo aliter inverſo legit, nempe; C. C. I. B. EX. CON. *Colonia Campeſtris Iulia Babba Ex Conſenſu Decurionum*. Praeferenda haec explicatio, quae Galbae nummo innititur, in quo diſtincte habetur: C. C. I. B. EX. CON. DEC.

COL. CABE. In nummis Lepidi. Harduinus [5] aliique: *Colonia Cabellio*, urbs Hiſpaniae Narbonenſis. Hanc explicationem reiiciunt Havercampius, aliique, qui nummum in Hiſpania percuſſum omnino arbitrantur, leguntque: CABE, urbs Hiſpaniae; ſed iſtorum momenta tanti non ſunt, ut ab Harduino tuto recedendnm ſit [6].

AEL. MVNICIP. COEL. & COIL. Vaillantius [7]: *Aelium Municipium Coellu* aut *Coillitanum*, quod nomen iuxta Cl. illum ſcriptorem, eam Numidiae urbem ſignificat, quae *Cullu* a Plinio, & Ptolemaeo, & *Chulli Municipium* in Antonini Itinerario appellatur. Sunt qui hanc inſcriptionem duabus adiectis interpunctionibus ita findunt: CO. EL. & CO. IL. leguntque: *Aelium Municipium Conſuaranorum Eliberis*, aut *Illiberis*; quo nomine parva urbs, ſeu oppidum Galliae Narbonenſis deſignari credunt. Veruntamen cum Galliae Narbonenſis urbes, poſt Caligulam aes ſignandi poteſtate carerent, cumque adiecta illa iuterpuncta ab omnibus hiſce nummis prorſus

(1) Differt. De Num. Diocl. & Maxim. Cap 5. (2) Opp. Sel. pag. 463. (3) Num. Impp. T. II. pag. 159. (4) Num. Col. T. I. pag. 105. (5) Opp. Sel. pag. 38. (6) Vid. Remarq. Hiſt. & Crit. alla Scien. des Medaill. T. II. pag. 235. (7) Num. Col. Tom. I. pag. 169.

ſus exulent, Vaillantii opinio adhuc veriſimilior videri poterit.

COSSVRA. REC. *Coſſura Regina Conteſtaniae*, urbis in Hiſpania. Ita nonnulli arbitrio magis quam coniecturis indulgentes. Siquidem praeter alia, adverſatur huic explicationi mos conſtans atque uſitatus nummorum. Numquam enim in antiquis Graecis Latiniſque Regum Reginarumque nummis, regionis illius nomen invenitur, cui Principes illi imperarunt. Sic legitur quidem: *Rex Iuba &c.* minime vero *Rex Mauritaniae*. Habetur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, *Regis Ptolemaei*, ſed numquam ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΙΓΥΠΤΟΥ. *Regis Aegypti*.

REST. NVM. In nummo Galbae. *Reſtituta Numantia*. *Reſtitutori Numidiae*. Ita a nonnullis varie legitur; ſed poſtrema interpretatio, quae aliis exemplis facile illuſtrari poteſt, longe veriſimilior habetur.

AVGG. AVG. In nummis Gratiani. Non ſolum varie reddi, ſed etiam deſcribi ſolent haec litterarum compendia. Nam Occo & Biragius (1) eo quo nunc expoſuimus modo; Harduinus (2), & Begerus (3): AVG. G. AVG. Leibnitius (4), aliique ſine ulla inter litteras diſtinctione: AVGGAVG. Ortae inde diverſae earumdem litterarum explicationes. Harduinus enim interpretatur: Gratianus *Auguſti Gener Auguſtus*; atque hunc Gratianum alium ab eo eſſe putat, qui Valentiniani ſenioris filius fuit, eumque circa annum Chr. 401. imperaſſe contendit. Leibnitius vero coniicit eſſe legendum: Gratianus *Auguſtorum Auguſtus*, atque ita Gratiani eminentiam exprimi credit ſupra Valentinianum iuniorem, atque Theodoſium in imperio collegas. Alii (5) *Auguſti Germanus Auguſtus*. Nonnulli (6): *Auguſto Genitus Auguſtus*, ſed hae duae explicationes nullos ferme nactae ſunt ſectatores. Denique Spanhemius (7) adducitur quidem in Harduini ſententiam, legitque: Gratianus *Auguſti Gener Auguſtus*, ſed de Gratiano Valentiniani ſenioris filio, ſecus ac exiſtimaverat Harduinus, id intelligi egregie oſtendit; qui cum eſſet & ipſe Auguſtus, alterius Auguſti gener extitit, ducta Conſtantia Conſtantii Auguſti filia.

CONOB. & COMOB. In nummo Conſtantii III. (8), patris

Aa 2 Va-

(1) Num. Impp. pag. 511. (2) Opp. Sel. pag. 503. (3) Contin. Theſ. Brand. pag. 829. (4) Diſſert. de Num. Grat. in Elect. Rei Num. pag. 308. (5) Vid. Mem. Trev. Aout 1701. pag. 101. (6) Vid. Mem. Trev. Octob. 1702. pag. 289. (7) De Vſ. & Praeſt. Num. Diſſ. XII. pag. 378. (8) Conſule quae de hoc Auguſto habet Tillem. Hiſt. des Empp. Tom. V. pag. 646. & 822.

Valentiniani III. *Conſtantinopoli Officina ſecunda.* Ita hae litterae exponi deberent iuxta ſyſtema a Iobert (1) aliiſque propugnatum ad implexas ſiglas illas facile enodandas, quae in numiſmatibus ſequioris aevi frequenter offenduntur. Sed huiuſmodi explicatio huic nummo certe accommodari non poteſt. Siquidem nummus ille, qui Honorii temporibus cuſus eſt, ut Maffeius, aliique peritiſſimi aſſeverant, Conſtantinopoli ſignari non poterat, cum Theodoſius iunior, qui ibidem imperabat, eumdem Conſtantium ab Honorio in Auguſtum renunciatum pro legitimo Auguſto habere recuſaverit, ut Olympiodorus (2), & Philoſtorgius (3) aperte teſtantur. Quare ad illorum opinionem confugiendum eſſe cenſeo, qui animadvertentes haec litterarum compendia in aureis tantum nummis inveniri, legunt: *Conflata Obryzo*, aut *Conflata Moneta Obryzo*.

M. ACILIVS IIIVIR. VALET. In nummis Conſularibus Familiae Aciliae; *Manius Acilius Triumvir Valetudinarius*. Ita vulgo exponunt ſcriptores, exiſtimantes Acilium illum Triumvirum fuiſſe curandae valetudinis. Sed nemo ex antiquis Hiſtoricis hoſce Valetudinis Triumviros meminit, ideoque in illorum ſententiam facile adducor, qui legunt: *Manius Acilius Triumvir. Valetudo*, ut nempe *Acilius* Triumviri Monetalis, *Valetudo* Divinitatis nomen exprimat, quae in eadem nummi parte exhibetur. Congruit apprime haec explicatio cum aliis Conſularibus familiarum nummis, in quibus ſaepe Triumviri Monetalis nomen, una cum alicuius Divinitatis nomine invenitur: ut in familia Fonteia P. FONTEIVS CAPITO IIIVIR. CONCORDIA.

VN. MR. In Nummo M. Conſtantini, in cuius poſteriori parte mulieris effigies viſitur. Qui ea effigie Helenam Conſtantini matrem deſignari credunt, legunt: *Venerabilis Noſtra Mater*; qui per eam Numen aliquod repraeſentari malunt, reddunt: *Venerandae Memoriae*: cum in aliis huic perquamſimillimis nummis habeatur: VENER. MEMOR.

INDVT. III. In nummo quodam Germani, ſeu Sermani. Inexplicabilis pleriſque viſa eſt huiuſmodi ſigla, ideoque eam integram reliquerunt. Sunt tamen qui ex ea interpretationem hanc, nempe: *Indictione* VII. aut XIIII. exculpi poſſe autumant, vertuntque artifici vitio, quod ultima littera exeat in T, cum alia eſſe debuerat. At viri in re numma-

(1) Inſtr. XI. pag. 407. (2) Apud Phot. Cod. 80. (3) Lib. XII. Cap. 12.

maria apprime verſati, longe ante Conſtantini tempora, adeoque ante invectas in monimentis indictiones, nummum hunc ſignatum fuiſſe validiſſimis rationibus evincunt (1), quos inter excellit praeſtantiſſimus vir ille, qui longius etiam progreſſus eſt. Cum enim ſex nummos huic, de quo eſt ſermo, omnino perſimiles contrectaſſet, diligenterque inſpexiſſet, hanc ex illis inſcriptionem eruit: CERMANVS INDVTILLI; ſed in uno illorum poſt litteram I, veſtigia quaedam exeſae fere litterae B deprehendit; quare ſuſpicatur nummum percuſſum *Illiberi*, quae urbs fuit olim Galliae Narbonenſis, atque ita inſcriptionem coniicit eſſe reſtituendam: CERMANVS INDVT ILLI aut ILLIB. redditque: *Cermanus Indutius* aut *Indutiomarus Illiberis*; priora duo nomina, eſſe Magiſtratus, ſive illorum exiſtimat, qui nummum feriundum curavere.

BAP. NAT. In nummo M. Conſtantini Occo (2): *Baptiſmi Natalitia*. Hanc explicationem, ſeu ut melius dicam, depravatam lectionem incaute exſcripſerunt Ducangius & Mediobarbus, credideruntque in hoc aereo nummo Baptiſmi a Conſtantino ſuſcepti monimentum haberi. Quin ipſe Begerus (3) alium perſimilem nummum in Theſauro ſuo exhibens, dum inconſulto illorum interpretationi adhaeret, chorda oberrat eadem. Etenim vera lectio huiuſmodi nummorum ita ſe habet: B. R. P. NAT. nempe, *Bono Rei Publicae Nato*, ut Harduinus (4), & Bandurius (5) ex aliis ſimillimis & probe ſignatis Conſtantini nummis evincunt. In eodem memorato nummo habentur etiam haec litterarum compendia: P. AVG. quae perperam nonnulli reddidere: *Patri Auguſti*, cum legendum ſit: *Pio Auguſto*.

CAPVT

(1) Vid. Remarq. Hiſtoir. & Crit. alla Scien. des Med. Tom. I. pag. 460. (2) Num. Imp. pag. 534. (3) Theſ. Band. T. II. pag. 178. (4) Opp. Sel. pag 467. (5) Num. Imp. Tom. II. pag. 259.

CAPVT V.

De Honorum titulis qui Caeſaribus, Auguſtis, eorumque Vxoribus in Graecis Latiniſque monumentis tribuuntur, & de illorum Siglis.

MOnimentorum inſcriptiones totius ferme antiquae eruditionis fons ſunt, & fundamentum. Nihil eſt ergo quod hic illarum praeſtantiam, atque utilitatem in ſingulas fere diſciplinas uberrime derivatam recenſeam, cum ab innumeris Antiquitatis ſcriptoribus id egregie praedicatum iam fuerit. Neque eſt animus ea omnia perſequi, quae inſcriptiones praeſeferunt, cum univerſam pene complectantur hiſtoriam, atque eruditionem, ſed tantummodo adoleſcentibus ad Antiquitatis ſtudium properantibus ea indicare, quae potiſſima & utiliora ſunt, quaeque ad penitiorem Auguſtae Hiſtoriae notitiam commode ducunt. Id certe praeſtat illorum titulorum plena cognitio, qui urbium magiſtratus, Principum dignitates, Auguſtorum honores exponunt, quos aut ſibi arrogarunt, aut bene factis ſibi pepererunt, vel prodiga, & impudens populorum aſſentatio illis ultro largita eſt, & *Honorum tituli* vulgo nuncupantur. Sed antequam iucundiſſimam illam eruditionis provinciam adgrediamur, pauca fortaſſe praefari oporteret de titulis illis, qui in monimentorum fronte inſcripti, omnium primi ſe ſe nobis offerunt, quique bene ominandi formulae rectius vocari poſſent. Verumtamen pleraeque ex formulis illis, quae in Graecorum Latinorumque marmorum fronte ſaepiſſime eminent, utpote ubique obviae vulgataeque, ſic etiam omnibus perſpectae ſunt, ut vel ipſis antiquarum rerum ignaris innoteſcant; ut D. M. vel D. M. S. *Diis Manibus Sacrum*. B. M. *Bonae Memoriae*. M. AE. *Memoriae Aeternae* V. F. *Vivus Fecit*; & ſimilia. Solemnem hanc bene ominandi formulam minime praeteream: ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. *Bonae Fortunae*, ſive *cum Bona Fortuna*, quae in Graecorum lapidibus (1), praeſertim vero Athenienſium offenditur. Titulum hunc prae ceteris Athenienſes uſurparunt, & ulterius publicis decretis praefigebant, quod Athe-

(1) Marm. Oxon. Num. 2. 57. 153. & Append. num. 7. 8. 9. 10. 19.

Athenienſes *Bonam Fortunam* veluti tutelare numen colerent. In marmore Delphis poſito, Dorica Dialecto inſcripta haec formula conſpicitur: Ἀγαθᾷ Τύχᾳ (1). Latine autem varie reddi poteſt, nempe: *Cum Bona Fortuna*, *Quod fauſtum ſit*, *Bonum Factum*, *Bono Eventui*. Etenim ſingulas haſce phraſes Latini ſuis in marmoribus exſcripſerunt, cum in ipſorum aliquibus: *Bono Eventui* (2), vel *Eventui Aug.* vel *Bonum Eventum*, & in aliis: *Quod Bonum*, *Fauſtum*, *Felixque ſit*, inveniatur; ſicut a Latinis ſcriptoribus: *Bonum Factum*, ſive *Bona Fortuna ſit*, uſurpatum fuiſſe Prideauxius (3) variis exemplis oſtendit. Huic affines ſunt aliae formulae: ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΝΕΙΚΗΣ, *Caeſaris Victoriae*, ex Gorii interpretatione (4). ΘΕΟΣ ΤΥΧΑΝ ΑΓΑΘ, *Deus Fortunam Bonam* donet: ΘΕΟΙΣ ΤΥΧΗ, *Diis & Fortuna* faventibus; & ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙ, *Diis Omnibus* faventibus. Sed haec minutiora ſunt, quam ut fuſius ea ſectari deceat. At praeter has bene ominandi formulas, omitti non deberent tituli illi inſcriptionum, qui Graecarum, tum Latinarum urbium magiſtratus, ac dignitates nobis obiiciunt. Verum ſi hos vellem non dicam perſequi, ſed compendiaria quadam ratione etiam recenſere, adeo longa texenda eſſet illorum ſeries & ordo, ut integro prorſus libello opus eſſet, ſi eos complecti vellemus. Quot enim tum ſacri, tum civiles, tum militares magiſtratus apud Graecos Latinoſque obtinuerunt, tot ferme in monimentorum inſcriptionibus offenduntur, ut longe plura magiſtratuum nomina ab iis, quam ab Hiſtoricis ipſis doceamur. Itaque ad honorum titulos Imperatoribus, Caeſaribus delatos, eoſque praecipuos & nobiliores nos tandem convertamus, quorum cognitione Auguſtorum Hiſtoriam eorumdemque politici regiminis formam maxime illuſtrari nemo inficiatur.

IMP. *Imperator*. In Graecis inſcriptionibus: ΑΥΤ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Triplicem huic titulo ſubiectam eſſe notionem, monimenta docent. Primo cum quis belli gerendi dux a Senatu renunciabatur aut ſemel, aut ſaepius. Atque ita in Familiarum Romanarum nummis & inſcriptionibus occurrit, neque ſolum Caeſaris aetate, ſed libera adhuc urbe eo titulo decorati leguntur: C. MEMMIVS IMPERATOR; & C. VAL. FLACC. IMPERATOR. EX. SC. aliique SVLLA IMP. ITERVM:

(1) Murat. pag. 134. & 176. (2) Vide Grut. pag. 101. num 8. & Murat. pag. 1102. (3) Mar. Oxon. pag. 27. (4) Donii Inſcript. Claſs. IV. n. 67. pag. 154.

RVM: ubi vox *iterum* Imperatoris dignitatem ſecundo a Sulla obtentam denotat. Secundo *Imperatoris* nomen praenominis loco ab Auguſtis aſſumptum, perpetuum imperium ſignificat, translato ab armis ad togam vocabulo, factoque uno ſummae poteſtatis domi foriſque nomine, quod prius dignitatis tantum fuerat militaris; hinc frequentiſſime legitur: IMP. CAESAR (1). A Tiberio tamen recuſatum illud praenomen *Imperatoris*, monuit Svetonius (2), quod tamen ei in aliquibus Coloniarum, & Municipiorum nummis tribuitur. Tertio cum *Imperatoris* titulus praeter praenominis loco, adiicitur etiam ad Auguſtorum cognomina, uti: IMP. CAES. DIVI F. AVG. IMP. XXI. *Imperator Caeſar Divi Filius Auguſtus Imperator viceſimum primum;* tunc addito etiam numero, deſignat quoties Auguſtus ille poſt partam victoriam a militibus acclamatus & ſalutatus eſt *Imperator*. Sic in Theodoſii nummo legitur: IMP. XXXXII. *Imperator quadrageſimum ſecundum* acclamatus, quo loco militaris potius honoris & felicitatis, quam poteſtatis nomen eſt, idque pro recepta iam ſub Conſulibus conſuetudine. Quare in Conſularibus nummis, *ſemel*, *iterum*, *ter*, *quater* &c. *Imperatores* leguntur appellati, & cum addito ſubinde in Victoriae ſignum tropaeo. Poſt Severum, eiuſque filios Antoninum, & Getam titulum hunc in Imperatorum nummis ea ſignificatione uſurpatum raro invenies, licet eorum nonnulli percelebres victorias retulerint, ut Claudius Gothicus, Aurelianus, Probus; iterum tamen ſe ſe offert in Conſtantini, Theodoſii de quo ſupra, & Valentiniani III. nummis; hoc etiam de marmorum inſcriptionibus velim intelligas, ſi unam forte Iuſtiniani excipias, in qua IMP. III. legitur (3). Poſtremo praeteriri non debet Graecos Latinoſque ſcriptores, quemadmodum etiam monumenta, *Imperatoris* titulum non ſolum Auguſtis, ſed Caeſaribus etiam paſſim tribuere. Sic Titus, etſi adhuc Caeſar, *Imperatoris* nomine in nummis inſcribitur. IMP. T. CAESAR AVGVST. F. Idem de Traiano vivo adhuc Nerva, aliiſque occurrit; quo tamen loco non antiquiori illa & militari vocis ſignificatione, Imperatores appellantur.

CAES.

(1) In nummis tamen Hadriani, Antonini Pii, M. Antonini Commodi in primis & Severi, eiuſque filiorum Getae, & Caracallae, ſaepe hunc titulum omiſſum videas, donec ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis omnino praeteritum. Ab Iuſtiniano tandem non Imperatoris quidem, ſed *Romanorum Imperatoris* nomen omnium primo aſſumptum fuit, ut tradit Agathias Lib. 6. pag. 157.
(2) In Tib. Cap. 26. (3) Grut. pag. 276. num 4.

CAES. vel C. *Caeſar*. K. ΚΑΙΣΑΡ. Ita ab Iulio Caeſare, nam Iuliae gentis vetus id cognomen erat, dici deinceps Auguſti omnes voluerunt. Vitellius tamen titulum illum reſpuit, ut habet Svetonius (1), atque hactenus inſpecti probique illius nummi teſtantur, a quibus titulus ille exulat. Neque enim pro genuino haberi debet Vitellii nummus, qui ab Antiquario quodam memoratur (2) cum inſcriptione VIT. CAESAR IMPERAT. Et licet ſcriptores nonnulli tradant Vitellium deinceps Caeſarem dici voluiſſe, ut ſuperſtitione nominis inclinantem imperii fortunam erigeret, id tamen ſero nimis, & irrito conatu contigiſſe narrat Tacitus (3). In Auguſtorum nummis titulus hic plerumque proprio nomini praeponitur: IMP. CAES. aliquando tamen ſubiungitur: CAES. AVG. Caeſaris nomen tribuebatur etiam Auguſtorum filiis, nepotibus, & in filii vel Collegae locum adſcitis, ſed praepoſitum nomini, uti: GERMANICVS CAESAR; hoc tamen diſcrimine, quod ad Neronem uſque Caeſaris appellatio haereditarium familiae nomen fuerit, cum ſex illi priores Caeſares natura vel adoptione Iuliam domum attingerent, ſed ita ut ſimul & futurae ſucceſſionis in imperium veluti gradus, & ſummi etiam faſtigii titulus evaderet. Poſt Neronem vero, cum in ipſo & Iuliorum & Claudiorum domus extingueretur, ſimplex dignitatis titulus evaſit (4). Factum deinde ut ob nominis illius, cuius maieſtatem colere adſueverant Romani, ab inſecutis Imperatoribus fit continuo retentum, & ad eorum liberos & ſucceſſores ſimiliter translatum, atque ad imperii haeredes deſignandos accommodatum.

AVG. vel A. *Auguſtus*. ΣΕΒ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. vel ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Commune hoc eorum cognomen fuit, qui poſt Octavianum imperium Romanum obtinuerunt. Octavianus enim primo in monumentis: *Caeſar Divi Filius*, inde *Imperator*, mox *Triumvir Reipublicae conſtituendae* dictus fuit. Poſtea cum Romuli nomen ei a Senatu oblatum, ne regiae memoriae ſubiret

 invi-

(1) In Vitell. Cap. 8. (2) Vide Elect Rei Num. pag. 91. & ſeq. (3) Lib. III. Cap. 58. (4) Aliter ſentit Harduinus Selec. Opp pag. 685. & 878. contenditque etiam poſt Neronem Caeſaris appellationem, haereditarium adhuc eiuſdem familiae cognomen fuiſſe in iis omnibus, qui Caeſares dicti fuere, quod ab ipſomet Auguſto atque ſorore eius Iulia forent prognati. Singularem hanc opinionem quamplurimi Eruditi eximiis Diſſertationibus adorti ſunt Vid. Memoires de Trevoux des ann. 1727. & 1728. & Spanhem. de Praeſt. & Uſ. Num. Diſſert. XII. pag. 345.

invidiam, reſpuiſſet, *Auguſtus* appellari maluit, conſecrato iam religione vocabulo, rebuſque ſacris ipſiſque Diis accommodato; hinc in inſcriptionibus Gruterianis IOVI AVG. MERCVRIO AVG. IVNONI AVGVSTAE. Quare *Auguſtos*, ſacros & viva templa dixeris. Non ſolum Auguſtorum uxores, ſed etiam matres, ſorores, affines mulieres, *Auguſtarum* nomine ſuperbierunt, ut ex monumentis Marcianae, Iuliae Mammeae, Matidiae, aliarumque patet. Frequens vero illa, & ſequioribus deinde ſaeculis, ac noſtra etiam aetate recepta, *ſemper Auguſtus*, appellatio, à Diocletiani temporibus originem duxit, ut liquet ex antiquis inſcriptionibus apud (1) Gruterum. In nummis tamen idem titulus Iuliano primum delatus cernitur (2). At *Perpetui* nomen, quod Auguſti appellationi additum fuit, quodque deſignari ſolet per litteras PP, vel PERP. a Conſtantini ſaeculo, ac ſequenti potiſſimum invaluit; ſed diu ante legitur in Traiani nummo: IMP. TRAIANVS AVG. PERP. (3) formula ex illis acclamationibus orta: *Dii te ſervent*, *Dii te perpetuent*, quibus recens ſalutati Imperatores excipiebantur a populo & a Senatu (4), quae vox non ſolum Auguſti, ſed Imperatoris nomini quandoque adiecta fuit, ut: PERPETVO IMP. PROBO AVG. quin ipſis etiam Caeſaris titulis, ut apud Gruterum (5): PERPETVI CAESARES. Alia etiam Auguſti nomini praemiſſa vox interdum in monumentis invenitur, nempe SEN. & IVN. *Senior Auguſtus*, *Iunior Auguſtus*. Haec autem invecta eſt, cum duo ſimul Imperatores Auguſti titulo exornarentur; ſcilicet qui prior creatus fuerat, *Senior*, qui autem poſterior, *Iunior Auguſtus* dicebatur, quod diſcrimen Hiſtorici, *Maioris* & *Minoris* Auguſti nomine expreſſere. Sic in ſingulari Commodi nummo apud Mediobarbum (6) legitur: IMP. M. AVR. COMMO. ANTON. AVG. IVN. *Imperator Marcus Aurelius Commodus Antoninus Auguſtus Iunior*; quod cum M. Aurelio parente adhuc ſuperſtite per triennium Auguſtus una fuerit. Eadem formula Diocletiani, & Maximiani monimentis commiſſa eſt poſtquam ſe ab imperio abdicarunt, ut a regnantibus Auguſtis Galerio nempe, & Conſtantio diſtinguerentur (7), proin-

(1) Pag. 280. num 6. & 284. num 3. (2) Vid. Du Cange Fam. Byz. Tab. XIV. & Birag. Num Impp. pag. 497. (3) Apud Birag. loc. cit. pag. 149. (4) Vid. Lamp. in Alex. Sev Cap 6. (5) Pag 161. num 3. (6) Pag 258. (7) Vid. Band. Num. Impp. Tom II. pag 15. 22. 35. 42. 54. 64. 84. & Grut pag. 178. num. 7. & 8. & pag. 179. num. 1.

proindeque in illorum nummis etiam legitur: *Quies Auguſtorum.* Id maxime congruit cum iis, quae habentur in Codice Theodoſiano (1), in quo Conſtantinus & Licinius vocant Diocletianum: *Dominum & Parentem noſtrum ſeniorem Auguſtum.*

PONT. MAX. vel P. M. *Pontifex Maximus.* ΑΡΧΙ. ΜΕΓ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ, vel ΜΕΓΙΣΤΟΣ. Hunc magni momenti honorem & munus, cuius erat leges interpretari, & ſacra quaeque ſupremo cum arbitrio moderari, ſemper Auguſtos ſuſcepiſſe, & perpetuo retinuiſſe nummi lapideſque comprobant, in quibus PONT. MAX. ſine ullo iterationis numero conſignatur. Ab Auguſto ad Gallieni uſque tempora in Caeſareis nummis paſſim legitur, rarius deinceps. At lapides (2) titulum hunc Conſtantino, Valentiniano, Valenti, Gratiano etiam tribuunt. Quin ſi Pagius (3) eſſet audiendus, etiam Iuſtino Seniori; verum in ea inſcriptione, in qua habetur: PONT. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. non Pontificem Maximum, ſed *Ponticum Maximum*, eſſe legendum, recte iam monuerunt viri docti, ac potiſſimum Reineſius, & Spanhemius. Quod vero in laudatorum Chriſtianorum Imperatorum lapidibus P. M. appellatio occurrat, a gentibus ipſis id omnino profectum eſt. Illae enim receptum hunc pridem inter Auguſtorum titulos illis Chriſtianis Imperatoribus pro more ſuo tribuunt, quemadmodum illo aevo hoſtias quoque pro Ioviano Chriſtiano principe mactarunt Ethnici iuxta Ammianum Marcellinum (4), & quemadmodum Auguſti, qui iis temporibus deceſſerant, Ethnicorum more *Divi* appellantur, ut *Divus Conſtantinus*, *Divus Gratianus*, aliique iuxta Symmachum (5). Ad nummos autem illorum Imperatorum quod attinet, licet ii eo titulo careant, non id tamen ob Chriſtianae religionis argumentum, quam Auguſti ipſi profitebantur, contigiſſe crediderim, ut nonnulli ſentiunt, ſed ob rationem potius obliterati fere iam antea moris, ut titulus ille nummis amplius conſignaretur. Nonne hac de cauſſa eadem P. M. appellatio in nummis Cari, Carini, Numeriani, Maximiani Dazae, Maxentii, Licinii, qui Chriſtianos Imperatores proxime praeceſſerunt, fruſtra inquiritur? Legitur tamen in nonnullis Conſtantini

(1) Lib. II. Cod. Theod. de Cenſu. (2) Grut. pag. 1082. num. 13. (3) Crit. Bar. ad an. Chr. 312. (4) Lib. XXV. Cap. 26. (5) Lib. IX. Epiſt. 125.

nummis, in quorum uno P. M. titulus cum ſexto Conſtantini Conſulatu coniungitur, quem Auguſtus ille decem poſt annos iniit, ex quo Chriſtianorum religioni favere, eamque propagare ſtuduerat. Credi tamen poteſt eamdem appellationem Chriſtianos Imperatores detrectaſſe, ut de Gratiano peculiariter narrat Zoſimus (1). Sed de his haec obiter. Vbi plures ſimul Auguſti regnabant, penes unum, & ſeniorem quidem, illam P. M. dignitatem reſediſſe, probant M. Aurelii nummi, in quibus ille PONT. MAX. vocatur, non vero eius in imperio collega L. Verus. Verumtamen poſtea Imperatoribus Pupieno & Balbino, eumdem titulum eorum nummi promiſcue tribuunt. In quibuſdam ſingularibus Graecis nummis ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ titulo, additum legitur ΜΕΓ. Μεγάλυ, ſeu Μεγίϛυ nomen, ut in nummo Antonini Caracallae, & Elagabali. Inferior vero Pontificis dignitas, ceu initium quoddam, ac tyrocinium ſummi illius Pontificatus, Principibus Iuventutis ac Caeſaribus eſt demum delata, ac in eorumdem nummis expreſſa. Ita in nummis ipſius Auguſti, vivo adhuc Lepido Pontifice Maximo, & antequam illi imperii ſumma committeretur; Tiberii pariter ſub Auguſto, Neronis ſub Claudio, Titi ac Domitiani Veſpaſiano ſuperſtite, quod de aliis etiam affirmari poteſt.

TRIB. POT. vel T. P. *Tribunitia Poteſtate*. Δ. Ε. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΤΣΙΑΣ. Praeter poteſtatem divinam ſe ſe etiam munivit Auguſtus, ceterique deinde Imperatores auctoritate plebis, adſcita ſibi Poteſtate Tribunitia, non vero Tribuni munere, quo fungi non poterat niſi plebeius. Principes enim ſemper inter patricios cenſebantur. Relicta ergo Tribunorum perſona, illorum poteſtatem (2) retinuit, per quam non modo intercedendi cum ceteris Tribunis ius obtinuit, ſed & ſe

(1) Lib. IV. pag. 250. (2) Quale fuerit diſcrimen inter Tribunitiam Imperatorum Poteſtatem, & ius Tribunorum Plebis, acriter olim diſceptatum inter duos ſummos viros Noriſium & Pagium Crit. Bar. ad an. Chr. 147. Revera aliquid maius & honorificentius in Tribunitia Auguſtorum Poteſtate, quam in Tribunorum Plebis titulo, licet omnino cum Pagio ſtatuere. Primo quod illa perpetua foret & Patriciorum propria. Secundo quod Tribunorum Plebis poteſtas intra urbem Romam eiuſque pomoeria circumſcripta foret, & Tribunitia Poteſtas Imperatoribus, & imperio deſtinatis collata, cui plerumque Proconſulare Imperium adiungebatur, extra urbem Italiamque etiam poſſet ab iis exerceri. Tertio quod illa, ut ait Tacitus Lib. 55. pag. 550.: *Omnia imperia praemineret & Conſortem imperii & Collegam Imperatoris conſtitueret*; ac denique quod ab ea anni imperii numerarentur, & Vota Quinquennalia vel Decennalia ſuſciperentur.

ſe praeſtitit ſacroſanctum, ut quiſquis eum attigiſſet, publicam violaret maieſtatem, ideoque indicta cauſſa poſſet occidi. Huiuſmodi Poteſtas, & quidem perpetua, Iulio Caeſari iam antea delata fuerat, ſed neglecto a Caeſare illo titulo, eo primum uſus eſt, eique ſplendorem omnem contulit Auguſtus, in quem a Senatu, ac inde veluti lege quadam in eius ſucceſſores propagata fuit, & pro recepto tum more *Perpetuae* nomen in omnibus Imperatoribus obtinuit. Sed quamvis perpetua foret, tamen illius veluti quotannis renovatae, fidem faciunt lapides nummique, in quibus creſcentes Tribunitiae Poteſtatis numeri ſingulis imperii annis inſcribuntur. Aſſumebant autem Auguſti in conſortes Tribunitiae Poteſtatis ſucceſſores in imperio, imo Collegas, non perpetuo quidem, ſed in quinquennium, quod poſtea iterari conſueverat. Ita Auguſtus illius poteſtatis Collegam per duo luſtra Agrippam, per quatuor vero Tiberium ſibi adoptavit. Qua de re etiam factum ut anni Tribunitiae Poteſtatis in ipſis Auguſtorum inſcriptionibus, non ab ipſo imperii exordio, ſed ab initio acceptae illius Tribunitiae Poteſtatis repeti ſoleant. Sed de iis, quemadmodum cur quandoque in inſcriptionibus Tribunitiae Poteſtatis numerus omittatur, fuſe ſuperius in altera operis parte diſſeruimus (1). Titulus hic infrequens eſt, niſi ferme obliteratus, in Imperatorum nummis, poſt Valeriani, & Gallieni tempora, ſi unum vel alterum mittas, ut in Claudio Gothico TR. P. II. in Aureliano TR. P. V. At in lapidibus eorumdem & ſequentium Imperatorum conſuetis illorum titulis adiunctus ſubinde legitur. Auctor eſt Lipſius (2) poſt Conſtantinum illius memoriam excidiſſe.

COS. *Conſul.* ΥΠ. ΥΠΑΤΟΣ, vel ΟΥΠΑΤΟΣ. Conſulatus etiam devicta Republica, fractiſque eiuſdem magiſtratus viribus vertex dignitatum fuit, & honorum faſtigium. Hunc ideo ſuſcepere etiam Imperatores, penes quos erat Conſulum deſignatio, vel cum aliquo de domo Auguſta, vel cum praeclarae nobilitatis, aut ſummae auctoritatis viro (3), ſed non continuo geſ-

(1) Cap. 9. (2) De Mag. Vet. Pop. Rom. Cap. 15. (3) Conſulatum perpetuum oblatum fuiſſe Auguſto docet Dio Lib. 54. pag 527. ſicut antea in decennium delatus fuerat Iulio Caeſari, atque deinceps etiam Domitiano, ut idem tradit Lib. 67. pag. 761. Quo referenda ſunt Plinii Iunioris verba ad Traianum in Paneg. *Non te ad exemplar eius voco, qui continuis Conſulatibus fecerat longum quemdam & ſine diſcrimine annum.* Verum ita in decennium Conſul extitit Domitianus, ut iis exceptis annis, quibus ipſe magiſtratum illum geſſit, alii ordinarii Conſules aut ſuffecti faſtos implerent, eamque dignitatem more ſolito obirent.

geſſere, quippe qui aliunde ſummam ſatis firmam auctoritatem haberent. Ideo non ſolum in inſcriptionibus Familiarum Romanarum, ſed in ipſis quoque Imperatorum idem geſti Conſulatus numerus cum creſcentibus Tribunitiae Poteſtatis numeris adnotatur. Nam tamdiu eumdem geſti Conſulatus numerum cum creſcente ſingulis annis Tribunitiae Poteſtatis numero adſcribebant, donec Conſules iterum fierent, quaſi dicas: *Conſul ſecundum, vel tertium emeritus*. Ita in Septimii Severi nummis COS. III. cum TRIB. POT. X. coniungitur uſque ad TRIB. POT. XVIII. Id autem oſtendit eum per id temporis Conſulatu abſtinuiſſe. Praeterea cum Conſulatum Kal. Ian. adire moris fuerit, Tribunitiam vero Poteſtatem, ut ſuo loco demonſtravimus (1) eo anni menſe ſibi Auguſti innovarent, quo eamdem primum ſuſcepiſſent, fieri poterat hac de cauſa, ut idem annus Conſulatus cum duobus diverſae Tribunitiae Poteſtatis annis committeretur. Soli quandoque Conſulatum geſſerunt Auguſti, & aliquando etiam perpetuum, ut praeter Svetonium (2) vetus inſcriptio teſtatur (3). A. VITELLIVS L. F. IMPERATOR COS. PERP. Cum vero liquido conſtet, ut ſuperius (4) hac de re diſſerentes animadvertimus, Imperatorum Conſulatus non ſolum ordinarios, ſed ſuffectos interdum fuiſſe, hic illud obiter monendum iterum cenſeo; Conſulatus illos, qui in Auguſtorum inſcriptionibus expreſſe ſignantur, vulgo Ordinarios habendos eſſe, ſuffectos vero illos, qui in plurium geſtorum Conſulatuum numero exponendo, ſive in Conſulatibus numerandis, additi ſunt. Ita cum primus Auguſti Caeſaris Conſulatus, quem menſe Septembri poſt Hirtii & Panſae Conſulum obitum ſuſcepit, revera ſuffectus Conſulatus fuiſſet, omiſſa quidem in nummis, marmoribus, uti & in faſtis illius mentio fuit, ſed in ſequenti illius Conſulatu, non COS. I. ſed COS. II. ille appellatur. Attamen non raro in inſcriptionibus etiam deſignati Conſules ita indicantur, nempe DES. ut in Commodi nummo: COS. DES. II. & in Traiani: COS. V. DES. VI. Ceterum non ſolum adſcripti diligenter in Caeſarum nummis geſtorum ab iis Conſulatuum numeri, ſed in nonnullis etiam rarioribus expreſſa fuit ſolemnis Conſularis eorum Pro-

(1) Cap. 9. (2) In Vitell. Cap. XI. (3) Grut. pag. 239. num. 1. (4) Cap. ult. I. Part.

Proceſſus memoria (1), ut in nummis Maxentii & Conſtantini M. in quorum primo: FELIX PROCESSVS COS. VI. AVG. N. *Felix Proceſſus Conſulis* VI. Auguſti Noſtri: in altero vero: FEL. PROCES. AVG. Quando vero progreſſu temporis accidit, ut in inſcriptionibus numeralis Conſulatus nota apponi non amplius in more fuerit, audi Pagium (2): *Numeralis nota per haec tempora in Conſulatibus praetermiſſa fuit, unde licet Licinius quinque Conſulatus geſſerit in nullis tamen nummis quod viderim, aliquis ex illis Conſulatibus memoratus. Sic in nummis Conſtantini, & eius filiorum vix conſulatus cum numerali nota legitur.*

P. P. *Pater Patriae* Π. Π. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ſummorum munerum invidiam Imperatores gratioſo apud plebem *Patris Patriae* nomine levabant. Titulum hunc, qui laudis & honoris, non dignitatis appellatio fuit, ſibi primum delatum M. Tullius magnifice depraedicat. Eodem poſtea Iulius Caeſar, deinceps Auguſtus, tum poſteriores Imperatores appellati ſunt, qui tali appellatione iuxta nonnullorum ſententiam (3) ius etiam naneiſcebantur in populum, quale parentes habent in liberos. Tiberius titulum illum conſtanter recuſavit, quod & nummi monſtrant, qui eo titulo carent. Nero initio imperii propter aetatem eumdem detrectavit, ſed brevi deinde admiſit. A Veſpaſiano eamdem appellationem ſero admiſſam praeter Tranquillum (4), teſtantur eius nummi, qui ſecundo illius imperii anno eam inſcriptam exhibent. Quamvis de Hadriano tradat Spartanus (5), *Patris Patriae nomen ſibi delatum, ſtatim, & iterum* diſtuliſſe, atque Euſebius (6) anno imperii decimo eum titulum ſumpſiſſe, tamen apud Gruterum (7) Hadriani inſcriptiones occurrunt in quibus: *Tribunitiae Poteſtatis anno* I. & II. PP. dicitur, & extant plures etiam nummi, & quidem cum S C. eodem titulo exornati, primoque illius imperii anno percuſſi. Ceteroquin *Patris* appellatio ſola interdum ſine addito nempe *Patriae* nomine, Imperatoribus & quidem poſt eorum obitum, ſeu iam divis & conſecratis, tribuitur. Ita DIVVS AVGVSTVS PATER

cum

(1) Veteri iam more receptum erat, ut Kal. Ian. deſignati iam anno ſuperiori Conſules, ſolemni per urbem Proceſſu ſui illius Conſularis imperii auſpicium facerent, ad cuius pompae celebritatem declarandam percuſſi duo illi nummi quos omnium primus indicavit Spanh. De Praeſt. &c. Vſ. Num Diſſert. XII. Vid. etiam Noriſ Diſſert. De Num. Diocl pag 22. (2) Crit. Bar. ad an. Chr. 313. (3) Vid. Dio. Lib. 53. (4) In Nerv. Cap. 8. (5) In Hadrian. Cap. 6. (6) Chron. P. II. pag. 167. (7) Pag. 246. num. 5.

cum variis conſecrationis ſymbolis in aliquot eius nummis ſignatur. Quo tamen loco haec Patris appellatio a ſucceſſoribus natura vel adoptione filiis, defunctis parentibus de ſe optime meritis, & in Divorum numero adſcriptis, pietatis ergo tribuebatur. Hinc mos ille profectus, ut defuncti Imperatores, *Patres*, ac *Parentes* vulgo a ſucceſſoribus vocarentur, quamquam nulla cognatione cum iiſdem forent coniuncti, ut paſſim exempla in Codice Theodoſiano teſtantur. Altera ratio unde hoc *Patris* cognomen in nummis conſecratorum aliquot Caeſarum obſervetur, repetenda eſt ab eadem *Patris* appellatione, quae quibusdam Diis tribui conſueverat, ut de Iove notiſſimum eſt. Natae inde propriae illae Imperatorum appellationes in eorum nummis obviae: *Patris Caſtrorum*, *Patris Legionum*, *Parens Coloniae*, *Pater Orbis*, *Pater Senatus &c.* quae ad Auguſtas ſimiliter translatae ſunt: *Matris Senatus*, *Caſtrorum*, *Legionum*, *Genetrix Orbis &c.*

PROCOS. *Proconſul.* ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Id nomen olim ſummum belli imperium extra urbem pro Conſule adminiſtratum notabat. Octaviano, ceteriſque deinde Auguſtis pro recepto more Proconſularis Poteſtas, & quidem perpetua delata fuit teſte Dione (1), ut *Proconſulare Imperium ſemper & omnimodo haberet, neque illud intra pomoerium veniens deponeret, aut renovare illud opus foret, & quidem ut maior ipſi in provinciis, quam earum praeſidibus poteſtas eſſet.* Quamvis Tribunitia Poteſtas una cum Proconſulari Imperio, ut ſuperius animadvertimus (2) Caeſaribus & Imperatoribus tribueretur, longe tamen minus frequens poſterioris huius dignitatis mentio in monimentis occurrit, praeſertim in nummis, in quorum paucis, & Conſtantini ferme aetate ſignatis exprimitur, licet frequentius in lapidibus, & in nonnullis Epiſtolarum, Edictorum inſcriptionibus habeatur. Hunc titulum Traiano, Hadriano, ac Aelio Caeſari largiuntur antiqua marmora (3), quamvis Salmaſius (4) ſcribat eum titulum ab Imperatoribus ante Antoninum Pium nunquam uſurpatum, a monumentis didiciſſe. Sicuti etiam non ita conſtans eius ſilentium in nummis credi debet, ut non ſe prodat in antiquorum nonnullis: occurrit enim apud (5) Biragium in nummo Traiani (6).

CENS.

(1) Lib 58 pag. 518. (2) Cap. 9. (3) Grut. pag. 245. num 9. & pag 298. num. 1. & 302. num. 2. (4) Ad Capitol. Not. ad M. Anton cap. 6. (5 Num. Impp. pag. 149. (6) Cum varia huius tituli notio quandoque in inſcriptionibus.

CENS. vel CE. *Cenſor*. ΤΕΙΜΗΤΗΣ. Inter Romanos magiſtratus maxime praecellebat *Cenſura*, quippe quae facultatibus, moribus immineret, & in facta civium & vitam animadverteret. Hanc Iulius Caeſar ſibi delatam *Praefecturam morum* appellare maluit, ſive ut vetuſtum nominis odium effugeret, ſive quia Cenſoris nomen Pompeius detrectaverat. Eamdem morum Praefecturam ſeu Cenſoriam Poteſtatem ſublato Cenſoris nomine in ſexto ſuo Conſulatu ſibi adiunxit Auguſtus, eiuſque deinde ſucceſſores, qui tamen ab eo Cenſoris nomine uſurpando ferme abſtinuerunt, aut tantum in agendo cenſu illud aſſumpſerunt [1]. Ceterum Cenſoris titulum palam aſſumere monimentiſque illud inſcribere non eſt veritus Claudius [2], Veſpaſianus, eiuſque Filii Titus & Domitianus, & hic quidem *Cenſor Perpetuus* nuncupatur. Poſt ipſos vero nuſpiam fere in inſcriptionibus legitur. Quamvis Cenſoria Poteſtas penes Auguſtos ſemper fuerit, Cenſoris tamen perſonam ſuſtinere, eiuſque munus obire, alios ſinebant Auguſti. Extant enim L. Vitellii numiſmata, qui pater fuit A. Vitellii poſtea Auguſti cum epigraphe L. VITELLIVS COS. III. CENS. S. C. Romanae urbis exemplo in Coloniis & Municipiis Cenſores extitiſſe, qui Imperatorum etiam aetate Magiſtratus in iis legerent, teſtantur etiam inſcriptiones apud Gruterum [3] in quarum una de quodam T. Flavio Hilarione habetur: CENSOR BIS AD MAG. CREANDOS. In altera [4] de L. Betilieno Baſſo legitur: OB HASCE RES CENSOREM FECERE BIS.

Cc AVG.

bus, ut apud ſcriptores eſſe poſſit, iuverit hic ſubiicere quod triplex Proconſulatus eſt diſtinguendus. Primus, qui in totius Romani orbis provinciis conferebat imperium; atque is tum Imperatoribus, tum in Imperio Collegis conceſſus fuit; alter qui in magna terrarum Romani orbis parte, & ad certum quidem tempus tribuebatur, ut Germanico ſub Tiberio, & Corbuloni ſub Nerone impertitus fuit. Poſtremus eos reſpicit, qui poſt inſtitutam ab Auguſto provinciarum Populi, & Auguſti diviſionem, ſub Proconſulum nomine a Senatu ad provincias illas regendas annui mittebantur. Horum mentio praeſertim in Graecis Caeſarianis nummis in Achaia, Bithynia, Cypro, aliiſque Aſiae provinciis percuſſis non raro invenitur.

(1) Vide Dio Lib. 53. pag. 508. & 509. & Lib. 54. pag. 521. (2) Eſt duplex inſcriptio apud Grut. pag. 14. num. 4. & 5. in qua legitur: TI. CLAVD. CENSOR ſed an illa referri debeat ad Claudium Auguſtum, dubitant Noriſius, & Pagius Crit. Bar. ad. an. Chr. XI. & in Diſſert Hypat Cap III. ac pro *Cenſor*, *Cenſorinus* legendum putant. Sed ſi dubitari poſſit de iis lapidibus, non dubitatu de ſingulari nummo, in quo Auguſtus ille ita appellatur. Vid Spanh. De Vſ. & Praeſt. Num. Diſſert. 12. pag. 475. (3) Pag. 411. num. 2. (4) Pag. 171. num. 8.

AVG. *Augur*. ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ. Magni nominis munus & ad multitudinis animos permovendos efficaciſſimum; raro tamen legitur in monimentis. In Conſularibus nummis Antonius iam IIIVIR R. P. C. *Triumvir Reipublicae Conſtituendae* hunc titulum fert; quin in Iulii Caeſaris iam conſecrati nummo lituus Auguralis conſignatus cernitur. In Auguſtorum aere *Auguris* nomen vix invenitur, praeter quam in Latino Veſpaſiani nummo, & in Graecis Titi, & Domitiani.

P. F. *Pius Felix*. ΕΥΣΕΒΗΕΣ, ΕΥΤΥΧΗΣ. Sed prior ille titulus in Graecis inſcriptionibus ita etiam exprimitur: ΠΙΟΣ vel ΠΕΙΟΣ. Vtrumque nomen ex acclamationibus Senatus in Auguſtorum ſalutatione, aut ex praeclaris illorum rebus geſtis, tulerunt Imperatores. Sed in eorum nummis Antoninus primum *Pius* appellatur, ob religionem in Deos, vel amorem in parentes, patriam & cives, quamvis Harduinus (1) non honoris & laudis, ſed familiae gentiſque nomen haereditarium fuiſſe contendat. Vterque titulus ſimul in Commodi nummis primum legitur, dein in Severi aliorumque Imperatorum aere occurrit, ſed ita ut ſaepe omiſſus videatur; quemadmodum fuerunt nonnulli, qui uno aut altero illorum nominum commendari maluerunt. Sic Elagabalus ſaepe *Felix*, & aliquando tantum *Pius* inſcriptionibus nuncupatur. Neque deſunt Caeſarum nummi his titulis exornati, ſed ſequioribus tantum temporibus, ut M. CARINVS PIVS FELIX NOB. CAES. Quin ipſae Auguſtae hos titulos adamarunt, ut proinde in nummis Iuliae Septimii Severi uxoris legitur: PIA FELIX DOMNA; & in Fauſtinae ſenioris nummis poſt illius obitum cuſis: DIVA FAVSTINA PIA. Id autem de quamplurimis aliis, nummorum exemplo oſtendi facile poſſet. In Conſularibus nummis Sulla primum *Felix*, & Caecilius Metellus ob patrem aſſiduis eius precibus ab exilio revocatum, & Sextus Pompeius Magnus ob eximiam in ulciſcendis parentis manibus pietatem, *Pius* dictus eſt. Sed poſtremus hic titulus in aliquibus Syriae & Aſiae regum nummis antea uſurpatus invenitur, ut infra dicemus.

NOBIL. CAES. *Nobiliſſimus Caeſar*. Huiuſmodi appellationem in Caeſarianis nummis a Philippi iunioris temporibus fuiſſe receptam, vulgo tradunt antiquarum rerum ſcriptores. Eam tamen iam antea Maximo Maximini filio tribuit vetus lapis (2), ut

(1) Select. Opp. pag. 686. 766. & 771. (2) Grut. pag. 151. num. 5.

ut praeteream eumdem *Nobiliſſimi* titulum Commodo iam Auguſto delatum in antiquo alio lapide (1), quemadmodum in eius nummis NOBILITAS AVG. primum ſignatur. Vſque ad Ioviani tempora obvia in nummis formula N. vel NOB. aut NOBIL. C. vel CAES. *Nobiliſſimus Caeſar*.

PRINC. IVVENT. *Princeps Iuventutis*. Hoc titulo libera adhuc Republica honoris cauſſa appellatus fuit qui a Cenſoribus primum ex equitibus erat lectus, decuſque fuit etiam praecipuum Romanae pueritiae, quo is ornabatur, qui Troiam ludentibus nobiliſſimis pueris praeerat. Auguſti deinde liberos ſuos, nepotes, & in imperium ſucceſſores eo titulo cohoneſtarunt, ut ex illorum nummis luculenter erudimur. Quamquam ii Principes Iuventutis in nummis plerumque velut equites effingantur, uti Nero, & Druſus, Titus, Domitianus, & Geta, aliique, aliquando tamen etiam ſtantes, ac paludati, & interdum togati cum ſignis legionis, vel inter duo ſigna militaria, ut Commodus, Philippus, Valerianus; ex quo coniicitur, non ſemper equeſtris Ordinis, ut nonnulli malunt, ſed pedeſtris quoque militiae duces extitiſſe, qui eo titulo deſignantur.

D. & DN. *Deus*, *&* *Dominus Noſter*. Domini titulum Octavianus Auguſtus deteſtatus eſt, eius vero appellationem ambivere quidem Caius & Domitianus, ſed monumentis committere non ſunt auſi, licet hic in epiſtolarum ſuarum fronte, utrumque nomen inſcripſerit (2). Quare in Antiocheno Getae numiſmate (3) primum occurrit *Domini* appellatio: VICT. DD. NN. *Victoria Dominorum Noſtrorum*, nempe Getae, & Caracallae; quamquam antea, ut hoc obiter moneam, non ΔΕΣΠΟΤΟΥ quidem, ſed ΚΥΡΙΟΥ (4) nomen in ſingularibus L. Veri & Lucillae eius Coniugis nummis inſcriptum fuerat, ut apud Vaillantium (5): ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ ΣΕ. *Pro Victoria Dominorum Noſtrorum Auguſtorum*. Circa Diocletiani (6) tempora ille *Domini* titulus invaluit; hinc haud infre-

(1) Grut. pag. 272. num. 4. (2) Vid Sveton. in Domit. Cap 13. (3) Apud Vaill. Num. Col. pag. 77. (4) *Κύριος* vulgo a Graecis dicebatur non de *Domino*, ſeu *hero* cum ad ſervos refertur, ſed de eo, qui ſui iuris erat, ſeu de patre, tutore, ſi ad *liberos* aut *ingenuos*, qui ſub alterius poteſtate ſunt, referatur; licet interdum ad poteſtatem in ſervos etiam exprimendam ea vox a Graecis uſurpata fuerit. (5) Praeſt. Num. Tom. II. pag. 186. (6) Obſervat Harduinus Select. Opp. pag. 424. quod in nummis Diocletiani & Maximiani ejus Collegae poſt abdicatum

quens in inſcriptionibus Licinii iunioris, Conſtantini, eiuſque filiorum, ac in primis Conſtantii. Mox vero in ſequentium Auguſtorum monimentis non modo frequens, ſed perpetuus ferme idem titulus habetur; qua ratione contigit ut in Oriente ſola illa ΔΕΣΠΟΤΟΥ, ſeu *Domini* appellatio, omiſſis aliis Principatus nominibus in Imperatorum nummis ſubinde ſignaretur. At *Dei Dominique* titulum una coniunctum Aureliani & Cari nummis primum, iis adhuc vivis & imperantibus, inſcripſit adulatio. DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO AVG. DEO ET DOMINO CARO. Graeci vero, qui in aſſentandis Imperatoribus longe impudentes, effuſique in titulos fuerunt, iam antea *Dei* appellationem aliis Auguſtis largiti fuerant. Licet enim in quodam Gallieni nummo (1) Octavianus Auguſtus *Deus* dicatur, ac proinde duobus & ultra ab eius morte ſaeculis, tamen in uno Amphipolitarum, & in altero Pergamenorum nummo, cum adhuc ille eſſet ſuperſtes cuſo, ut putat Spanhemius (2); ΘΕΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Deus Caeſar Auguſtus*, inſcribitur. Quemadmodum Tiberium, & eius matrem Liviam, atque Meſſalinam Claudii uxorem, & Neronem, dum adhuc vitam agerent, eadem epigraphe in nonnullis Graecis nummis celebrari aſſeverat. Quin non modo Imperatores, ſed Caeſares ipſi, ut Druſus Tiberii natura, & Germanicus adoptione filii, ac inde fratres, in praeclaro Sardianorum nummo: ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *Novi*, ſeu *Iuniores Dii fraterno amore iuncti*, iuxta Cl. illum ſcriptorem appellati fuere. At mirum profecto eſt quam liberaliter & inſolenter ea *Dei*, & *Divi* appellatio paſſim monimentis illis mandata fuerit, quae poſt obitum ſuſcitata fuere Imperatoribus, Caeſaribus, eorumque coniugibus, liberis, parentibus, amicis, quibus in locis titulus ille inter Deorum numerum eoſdem relatos eſſe ſignificat; adeo ut nihil facilius iis, qui vel cognatione, vel amicitia cum Auguſtis iungebantur, quam Deorum numero adſcribi, & templis, ſacrificiis, ludiſque poſt obitum celebrari; ut proinde Antinous ipſe adoleſcens, in nummis poſt eius obitum in Hadriani

dicatum ab iis imperium percuſſis, *Domini* titulus pro uſitata voce *Imperatoris* conſignatus legitur, quare in iis ea *Domini* vox honoris tantum, non poteſtatis aut imperii eſt appellatio.

(1) Vid. Specim. Morell. Tab. 6. (2) De Vſ. & Praeſt Num. Diſſ. 12. pag. 489.

driani gratiam percuſſis, ΗΡΟΣ (1), & ΘΕΟΣ nuncupatur. Neque generatim *Dei* titulus, ſed ipſa quoque ſingillatim Deorum nomina, ut Iovis, Apollinis, Herculis, indeque deductae appellationes, *Iovii*, *Ioviani*, *Herculii* in Auguſtorum monimentis leguntur; eademque ratione Auguſtorum Coniuges, Matres, Filiae, ſub Matris Deum, Iunonis, Cereris, Veneris, Veſtae, Fortunae nomine in Graecis Latiniſque nummis deſignatae fuerunt. Itaque Nero quod maxime cithara delectaretur ΝΕΡΩΝ ΑΠΟΛΛΩ, *Nero Apollo* inſcribitur. Hadrianus ob peragratum, & a Praeſidum iniuriis vindicatum Romanum orbem ΗΡΑΚΛΗΣ ΡΩΜΑΙΟΣ, *Hercules Romanus* in Graecis nummis dicitur. Inſolentius eamdem appellationem monimenta Commodo tribuunt, *quod feras*, ait Lampridius (2), *Lanuvii in theatro occidiſſet*; ut HERC. ROM. HERC. COMMODIANO. HERC. ROM. CONDITORI. Item Maximiano cum epigraphe (3), HERCVLI DEBELLATORI. HERCVLI VICTORI. HERCVLI PACIFICO; quemadmodum Aemilianus Auguſtus, *Herculis Conſervatoris* in veteri lapide (4), & in perantiquo nummo (5) Severus Auguſtus, *Herculis Defenſoris* elogio commendatur. Iovis nomen Diocletianus ſibi adſcivit, inde paſſim in eius inſcriptionibus *Iovius* dictus, & in pluribus quidem nummis Diocletiani & Maximiani praeteritis eorum nominibus ſolo Iovis, & Herculis titulo Imperatores illi indicantur, ut in praeclaro illo nummo (6), in quo legitur: MONETA. IOVI. ET. HERCVLI. AVGG. *Iovii* titulus ex Diocletiano in illius ſucceſſorum monimentis, nempe Maximini & Licinii traductus eſt, hinc in nummis: IOVIVS MAXIMINVS. IOVIVS LICINIVS. Haud ita de *Herculii* appellatione contigit; nam licet illa Maximiani poſteris, ut Maxentio, Conſtantio, Conſtantino a ſcriptoribus tribuatur, in eorum tamen monumentis deſideratur. Hadrianus ob templum Iovi ſibique Athenis dicatum, in Grae-

(1) Ἥρωες apud Graecos, ii qui apud Romanos *Divi*, *Conſecrati*, *ſideribus Recepti*. Harduinus tamen Opp. Select. pag. 763. Dum Antinoi nummos profert cum inſcriptione ΑΝΤΙΝΟΟΣ ΗΕΡΩΟΣ. vertendum cenſuit. *Antinoi Dei geniti*; quod exiſtimet, Antinoum Hadriani filium fuiſſe ex peregrina muliere. Sed hanc opinionem exploſit Spanhemius De Vſ. & Praeſt. Num. Diſſ. II. pag. 330. ſunt qui ΗΡΩΟΣ ibi pro *Heroico*, uti ea vox alibi eo ſenſu legitur, ſumi poſſe credant, dicique ibi *Antinous Heroicus*. Vid. Buonarot. Oſſervat. ſopr. Medaglion. pag. 29. (2) In Commod Cap. 8. (3) Birag. Num. Impp. pag. 432. & 435. (4) Apud Grut. pag. 275. num. 7. (5) Apud Triſt. T. III. pag. 71. 72. (6) Vide Buonarot. Oſſervaz. ſopra le Med. &c. Tab. 24.

Graecis Latiniſque nummis & lapidibus ſaepe *Olympius* appellatur, atque Hadriani exemplo Commodus etiam in aliquibus Graecis inſcriptionibus eodem titulo celebratur. Duobus hiſce Imperatoribus praeter duas illas Deorum memoratas appellationes, addita eſt etiam in eorum Graecis monimentis altera, nempe ΣΩΤΗΡΟΣ, *Servatoris*, quam nonnulli etiam Traiani nummi oſtentant (1), & ſingulare illud Neronis numiſma in Aegypto percuſſum cum impudentiſſima hac inſcriptione: ΤΩ CΩΤΗΡΙ ΤΗC ΟΙΚΟΥΜΕΝΗC L. ΕΝΑΤ. *Ser atori Orbis Anno* IX. Hiſce Auguſtorum cognominibus a Deorum appellationibus derivatis, adnumerari etiam debet OPTIMI, vel coniunctim OPTIMI MAXIMI titulus, quorum prior (2) paſſim in obviis Traiani nummis, & in aliquibus Hadriani, in uno ſingulari Claudii Gothici, Divis iam adſcripti, cernitur; uti etiam in lapidibus (3) Severi, & Gordiani Pii. Vtroque vero titulo eximium Commodi numiſma (4), & Diocletiani marmor exornatur (5).

Splendidiſſima praeterea ſunt in Imperatorum inſcriptionibus, atque ad Hiſtoriae cognitionem perutilia, cognomina a victoris, deviƈtiſque gentibus petita. Haec fere occurrunt: GERM. *Germanicus*, BRIT. *Britannicus*, DAC. *Dacicus*, SARM. *Sarmaticus*, ADIAB. *Adiabenicus*, PARTH. *Parthicus*, ARM. *Armeniacus*, ARAB. *Arabicus*, PERS. *Perſicus*, GOTH. *Gothicus*, addita nonnumquam voce MAX., vel MAXV. *Maximus*; ut GER. MAX. *Germanicus Maximus*. Haec non modo Auguſtorum, ſed privatorum etiam civium libera adhuc Republica ambitio fuit, ut victarum gentium cognomina reliquis familiae ſuae titulis infererent, & monimentis inſcriberent, & in poſteros ſuos honorifice propagarent. Ex quo profecta in Familiarum Romanarum inſcriptionibus nomina illa: AFRICANI, ASIATICI, MAXIMI, MAGNI, quibus tamen PARTHICI cognomen minime adſcribi debet, quod in Labieni nummo legitur: T. LABIENVS PARTHICVS IMP. Illud enim non a Parthis debellatis, ut huiuſmodi appellationes a Romanis deſumi conſueverant, ſed a Parthis defenſis pro quibus contra Romanos militabat, inditum illi fuit (6).

His

(1) Vaill. Num Impp Graec pag. 18. (2) De hoc Traiani titulo vid Plinium Panegir. Cap. 88. (3) Grut. pag. 263. num. 4. & 5. & pag. 272. n. 4. (4) Vaill. Praeſt. Num pag. 190. (5) Grut. pag. 2/9. num. 4. (6) Vid. Dio. Lib. 48. pag. 373.

His quae hactenus proſecuti ſumus, adiicienda hoc loco ſe ſe offerunt, praeclara illa Auguſtorum cognomina, quae ab adfinitate eorumdemque origine, ſeu vera, ſeu mentita, plurimi parandae benevolentiae cauſſa, vel in grati erga deceſſores animi ſignificationem ſuſcepere. Saepe enim contigit, quod e nummis eruitur, ut in imperio ſucceſſores, deceſſorum ſuorum vel natura, vel adoptione parentum, nomina aſſumerent; quandoque praenominis vice, ut NERVA TRAIANVS, TRAIANVS HADRIANVS, HADRIANVS ANTONINVS; cum Traianus, Hadrianus, Antoninus eorum proxime deceſſorum forent adoptione filii: aliquando non praenominis, ſed cognominis loco, ut M. AVRELIVS ANTONINVS. Id vero ſingulare in Septimio Severo ſuſpiciendum occurrit, quod Pertinacis Auguſti, cuius nec natura, nec adoptione fuerat filius, neque in partem imperii, vel in ſucceſſorem adſcitus, nomen tamen illius ſuo nomini protinus addiderit, adeoque in (1) aere & lapidibus (2) dicatur: IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. Non hic moror illas ſatis obvias in inſcriptionibus, *Parentis*, vel *Patris*, *Matris*, *Filii*, *Nepotis &c.* illaſque minus uſitatas, *Soceri*, *Adſinis*, *Cognati* appellationes, ſed ad celebre *Antoninorum* nomen me converto, quo nullum ſplendidius in Auguſtorum monimentis habetur. Itaque illud ſex Caeſaribus nummi lapideſque vulgo largiuntur, ſcilicet Antonino Pio, M. Aurelio, L. Commodo, Caracallae, Diadumeniano, & Elagabalo (3); quibus L. Verum & Getam addit Capitolinus (4), qui octo *Antoninos* Auguſtos enumerat. Verumtamen nomen illud in eorum numiſmatibus & marmoribus, quae ſuperſunt minime elucet; ſed in faſtis ut docet Spartianus (5) L. Verus appellatur *Antoninus*, eodemque titulo tantum a Severo parente, ſingulari eius in *Antonini* nomen ſtudio, etiam Getam natu minorem in epiſtolis vocatum fuiſſe tradit laudatus Auctor (6). Porro his addendus, alter Antoninus ſe ſe praebet (7) in nummis Graecis, non Imperator quidem & Auguſtus, ſed Imperatoris Antonini Pii filius, ut ex illius inſcriptionibus evincitur:

(1) Vid. Birag. pag. 278. 279. (2) Grut. pag. 271. n. 1. (3) Hoc nomen iure adoptionis Marcus & Verus ab Antonino Pio tulerunt, iure haereditario Commodus, illud deinde ſuſcepit Diadumenianus, affectavit Caracalla, ridiculum ferme fuit in Elagabalo. (4) In Macrin. Cap. 3. (5) In Aelio Vero. Cap. 5. (6) In Get. Cap. 1. (7) Apud Vaill. Num. Impp. Graec. pag. 48. & Birag. Num. Impp. pag. 207.

tur: M. ΑΝΝΙΟΣ ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟΣ. *M. Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini Filius*. Vt proinde ſeptem in Caeſarianis nummis *Antonini* legantur, e quibus ſex fuerunt Auguſti, alter vero ex imperatoria ſtirpe prognatus.

CAPVT VI.

De quibuſdam honorificis appellationibus, quae Regibus, Reginis, & nonnullis praeclaris Vrbibus delatae, in Graecis monimentis obſervantur.

AVguſtorum titulis, eos proxime ſubiiciendos eſſe duximus, quos aliquando egregia Regum facta, ſaepius vero populorum adulatio, aut metus in eorum monimentis inſcripſit. Neque praetereundi ſunt ii, quibus Aſiae urbes quamplurimae inter alias eminere exiſtimabantur, quibuſque adeo gloriabantur, ut ne illorum memoria brevi interiret, nummis & lapidibus eoſdem conſignatos poſteritati mandarunt. Mirum ſane quanti horum cognitio facienda ſit. Siquidem ea una eſt, cuius ope Syriae, Aegypti, Parthorumque implicatas Regum ſeries extricare, ſua cuique Regi propria nomina adiudicare, urbium iura ac privilegia aſſerere, certoque ſtatuere poſſimus, cum pleraque ex iis vel ſileant, vel confuſe tradant ſcriptores, ut Noriſii, Pagii, Harduini, Vaillantii, Spanhemii opera intuenti apertiſſimum fiet. Principes itaque, magiſque uſitatos ex hiſce titulis proſequamur.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. *Rex Imperator*. Singularem hanc appellationem, quam Scaliger (1) raro ſe legiſſe teſtatur, praeſeferunt Tryphonis Syriae Regis nummi, & alter Tigranis apud Goltium, de cuius tamen inſcriptione nonnulli dubitant. Per eam ſummum imperium pacis bellique tempore notabatur; proindeque Dionyſius (2) Halicarnaſſenſis Lacedaemoniorum Regibus, & Livius (3) Antiocho Magno eamdem tribuere.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ. *Rex Regum*. Hoc titulo ſuperbierunt olim quamplurimi Aſiae Reges, atque eodem praecipue com-

(1) In Animad. Euſeb. pag. 126. (2) Antiq. Lib. II. Cap. 73. (3) Lib. 35. Cap 45.

compellatos fuiſſe vetuſtiſſimos Aegypti Principes diſcimus a Diodoro (1), ſed proprium Babyloniorum Regum extitiſſe tradit Harduinus (2), qua de re Nabuchodonoſori in Sacris Litteris tribuitur (3). Illum vero ſibi potiſſimum vindicarunt Perſarum Reges, a quibus ad Parthorum Dominos, ſive Arſacidas migravit; qui non modo in epiſtolarum ſuarum fronte ad Romanos Duces, imo ad ipſos Auguſtos (4), ſed in eorum nummis (5) eumdem uſurparunt. Imperioſa illa inſcriptio etiam ſe ſe prodit in numiſmatibus Pharnacis Ponti, & Tigranis Armeniae Regis. More autem antiquiſſimorum Aegypti Regum, ut modo indicavimus, etiam Cleopatra ſuis in nummis inſcribitur: REGINAE REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATRAE.

ΕΠΙΦΑΝΗΣ. *Praeſens*. Hac voce Deorum praeſentiam in miſteriis aliiſve creditis eorum apparitionibus Graeci exprimebant. Hinc ſaepe apud Gruterum (6) in Graecis, & Latinis inſcriptionibus legitur: DIIS & DEABVS PRAESENTIBVS. Ad Reges deinde haec appellatio, tamquam ad praeſentes & conſpicuos quoſdam Deos, vel Heroas translata eſt (7). E Seleucidis Antiochus eo nomine IV. nummis eum titulum primus commiſit cum inſcriptione: ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Dei Praeſentis*, quod ut ait Appianus (8), alienis e patrio regno eliminatis, quaſi *Patrius, & Domeſticus Rex illis* populis *apparuiſſet*. Auctor eſt Philo (9) Iulium Caeſarem ambiviſſe quidem, ut eadem inſcriptio ſuae ipſius ſtatuae apponeretur, quam ſibi Hieroſolymorum templo ſacrari exoptabat. Titulum refert laudatus ſcriptor: ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ ΓΑΙΟΥ. *Iovis Epiphanis Iunioris Caii*. Apud alios Seleucidas deinde illud *Epiphanis* cognomen receptum fuit, idemque ad Nicomedes Bithynorum, Tigranes Armeniorum, & Arſaces ac Vologeſes Parthorum Principes tranſit, ut ex ſuperſtitibus adhuc & praeclaris eorum nummis liquido conſtat; quibus tamen in moni-

(1) Lib. I. pag. 35. (2) Chronol. Vet. Teſt. pag. 219. (3) Daniel. Cap. 2. verſ. 37. (4) Vid. Dio. Lib. 35. pag. 32. & Lib. 4. pag. 555. (5) Vid. Patin. Theſ. Numiſm. pag. 209. (6) Pag. 36. num 5. & pag 37. num 11. & pag. 99. num. 7. (7) Ceterum etiam Latini Auguſtos ſuos eodem fermo vocabulo proſecuti ſunt. Ita in antiqua Inſcriptione apud Sponium Itin Tom. III. pag. 50. Antonino Caracallae dicata, legitur: NVMINI PRAESENTI. In aliis apud Grut. pag. 87. num. 9. PRAESENTISSIMI NVMINIS; (8) Syriac. pag. 117. (9) Legation. ad Caium pag. 1040.

nimentis, ut monuit Noriſius (1), illa *Epiphanis* appellatio, ubi abeſt illud *Dei*, vel *Iovis* alteriuſve numinis additum vel praemiſſum nomen, *ea* tunc non *Praeſentem*, ac *Manifeſtum*, quam *Nobilem*, ac *Illuſtrem* deſignat. Et re quidem vera illud *Epiphanis* cognomen iam antea ab Aegyptiis inventum fuerat, ut ſuos Reges uno eodemque Ptolemaei nomine nuncupatos invicem diſtinguerent, eoque Ptolemaeus Philopatoris filius, cum adhuc quatrimus eſſet, appellatus eſt, ſed non priori illa *Praeſentis*, ſed *Nobilis*, aut *Illuſtris* ſignificatione (2); quemadmodum in Smyrnenſi inſcriptione apud Sponium (3) ubi legitur de Licinio Valeriano: ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, optime redditur *Nobiliſſimus Caeſar*.

ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ. *Beneficus*. Praeclara hac nominatione a beneficiis in urbes populoſque derivata, cohoneſtati fuere quamplurimi Aſiae Reges. Inter Seleucidas, Alexander I. de quo in Machabaeorum libris (4) frequens mentio, eo titulo in nummis primum commendatur; & merito, cum erga Ionathanem ſummum Pontificem ab eo declaratum, & in Iudaeos vere ſe *Evergetem*, ſeu *Beneficum* praebuerit. Deinde Antiochus VII. alter e Seleucidis Rex, qui ſub regni initium Simonem Iudaeorum Sacerdotem ac ducem, eamque nationem beneficiis proſecutus eſt (5), quibus adnumerari debet Demetrius III. *Eucaerus* vulgo dictus, quorum Seleucidarum numiſmata, eodem titulo inſignita, habes apud Vaillantium (6). Seleucidas alii etiam Reges certatim aemulati ſunt, ut videre eſt in Ptolemaeorum III. & VII. Aegypti Regum nummis, uti in aliquibus Pyloemonis Paphlagonum, Mithridatis Ponti, & Arſacidarum Parthorum Regum.

ΕΥΣΕΒΗΣ. *Pius*. Attigimus in ſuperiori capite, cum de hoc titulo Auguſtis oblato ſermonem intulimus, eumdem nonnullis Aſiae Regibus primum fuiſſe delatum. Eum itaque tribuunt nummi Antiocho VII. & X. e Seleucidis, & Ariarathi Cappadociae Regi, qui eo nomine aut quintus, aut ſextus eſſe debuit (7).

ΜΕΓΑΣ. *Magnus*. Peculiaris hic titulus Parthorum Regis, Dioni

(1) De Epoch. Syromac. Diſſert. II. Cap. IV. pag. 109. (2) Vid. S. Hieronym. in Cap. IX. Daniel. (3) Miſcell. Sect. X. num 95. pag. 355. (4) Lib. I. Cap. X. verſ. 20. 59. 60. (5) Vid. Lib. I. Machab. Cap. XV. verſ. 2. 5. 6. (6) Hiſt. Reg. Syr. pag. 306. 309. 310. 379. (7) Vid. Seguin. Sel. Num. pag. 60.

Dioni Chryſoſtomo (1) fuiſſe videtur, adeo ut eo ſolo nomine Rex ille deſignaretur. Fuit tamen familiaris quodammodo etiam Ptolemaeis. Inſcriptiones autem illum Ptolemaeo Evergetae largiuntur, ut monimentum Adulitanum teſtatur. At nummi (2) Antiocho IV. poſtremo Commagenorum Regi, & nonnullis ex Arſacidis. In numiſmatibus Severi Auguſti, Abgarus Edeſſae Regulus eo nomine decoratur. Id vero non, ut ait Triſtanus, in ludibrium Parthorum Regis a Severo illi tributum fuit, ſed ut alii ſapientiores viderunt, quod Edeſſenorum Reges, *Abgari*, hoc eſt *Magni*, Arabum lingua nuncuparentur; ipſorum autem filii, *Aſgari*, ſeu *Parvi*.

ΔΙΚΑΙΟΣ. *Iuſtus*. Hoc inſigne prae ceteris cognomen, quod nuſquam hactenus in antiquo Orientis Regum aere offenditur, duo tantum Arſacidarum nummi apud Spanhemium oſtentant (3). Neque id tanquam mirum & inuſitatum in Parthorum, ſeu Perſarum Regibus eſſe ſuſpiciendum animadvertit Cl. Auctor (4). Fuit enim Perſarum Regum gloria illa praecipua, ut Iuſtitiae iura religioſiſſime colerent, atque ut a populis addiſcerentur, *ſcholas Iuſtitiae publicas alere*, quem morem Parthi Perſarum in imperio ſucceſſores retinuere; ex quo deinde in Graecis Latiniſque Auguſtorum inſcriptionibus formula illa manavit: ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ, vel IVSTITIA AVGVSTI.

ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Victoris*. A partis victoriis, non a Nicatore caeſo (5) hanc tulit appellationem Seleucus I. a quo Seleucidarum ſeries & regnum exorditur. Factum deinde ut cognomentum illud nonnulli ex Herois illius ſucceſſoribus ambitioſe non modo uſurparint, ſed nummis etiam inſcripſerint; proindeque legitur in numiſmatibus Demetrii II. & Seleuci IV. qui perperam a Patino cum Seleuco I. confunditur, cui immerito nummos illos cum *Nicatoris* epigraphe idem auctor adſcribit (6). Eadem ferme ratione, ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, *Victoris* nomen praeſefert, rarum ac ſingulare Antiochi VI. e Seleucidarum gente numiſma (7) cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, *Regis Antiochi Dei Epiphanis Nicephori*.

ΣΩΤΗΡ. *Servator*. Ab Iove *Sotere*, quem eo nomine cultum tota fere antiquitas docet, alii etiam Dii non modo com-

Dd 2 pel-

(1) Orat. 53. pag. 42. (2) Apud Noriſ. de Epoch. Syromac Diſſert. II. Cap. 4. (3) De Praeſt. & Vſ. Num. Diſſert. 8. pag. 461. (4) Loc. cit. pag. 466. (5) Vide Appian. Syriac. pag. 124. (6) Vid. Vaill. Hiſt. Reg. Syr. pag. 36. & 369. (7) Apud Spanhem. Diſſert. 7. pag. 408.

pellati, ſed in monimentis inſuper eo titulo decorati fuere, praeſertim Apollo, Bacchus, Aeſculapius, Hercules, Pallas, Venus, Diana (1). In Reges deinde optime de populis, atque urbibus meritos ea nomenclatio conlata eſt, quam veſana populorum aſſentatio, aut metus ad Principes alios traduxit. Id potiſſimum in cauſſa fuit, cur tot Aegypti Syriaeque Reges eo titulo a Graecis ſcriptoribus notarentur, atque Antigono, & Demetrio Ara ab Athenienſibus eo nomine nuncupata erigeretur (2): Obvia eadem *Soteris* appellatio ſe offert in nummis Demetrii I. & in aliquibus Ptolemaei I. eamdemque Smyrnenſe marmor (3) Antiocho II. & monimentum Adulitanum eidem Ptolemaeo cum Berenice eius coniuge impertitur. Berenices exemplo, etiam Cleopatram, eam nempe quae fuit *Aegypti feralis Erinnys*, ΣΩΤΕΙΡΑΣ *Servatricis* nomine mendoſe numiſmata extollunt. A Regibus deinceps ad Auguſtos Graeci eamdem laudationem convertere, quae proinde in Traiani & Hadriani nummis conſpicitur (4), imo ad ipſum Populum Romanum, ut in inſcriptione apud Sponium (5).

Haec porro ſplendidiora Regum cognomina monimentis conſignata cenſentur. Vix enim refert, ut illas per ſe ſe ſatis notas, & a pietate in parentes aut fratres derivatas appellationes ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ (6), ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ (7), ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ (8), ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ (9) hic proſequamur; aut eas ab amicitia cum Graecis, Romanis, Auguſtis profectas, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ

(1) Vid. Patin. Theſ. Num. pag. 21. & Grut. pag. 1083. num. 3 & pag. 59. num. 1. & Vaill. Num. Graec. Impp. pag. 26. (2) Diod. Lib. 20. pag. 783. (3) Mar. Oxon. pag. 3. (4) Vaill. Num. Graec. Impp. pag. 29. (5) Itin. Tom. III. pag. 14. (6) Hoc cognomen Antiocho V. in ſingulari eius nummo apud Vaill. Hiſt. Reg. Syr. pag. 228. tribuitur, quod illi inditum a Lyſia poſt parentis obitum narrat ſcriptor Machabaeorum Lib. 1. Cap. 6. verſ. 17. a Syris vero ob patris virtutem ſcribit Appianus Syriac. pag. 117. Eo quoque nomine in nummis appellantur duo Ponti Reges, Mithridates, ille nempe infeſtiſſimus Romanorum hoſtis, & alter qui M. Aurelii, & L. Veri aetate floruit, de quo vide Spanhemium Diſſ. 7 pag. 441. (7) Commendatur hoc nomine in Seleucidarum monimentis Antiochus IX. alias Cyzicenus; Antiochus X. vulgo Euſebes, & Antiochus XIII. Aſiaticus. Pariter in nummis Ptolemaeus IV. apud Vaill. Hiſt. Ptolem. pag 69. & Archelaus Cappadocum rex apud Baudelotium, Vtilitè des Voyages T. II. pag. 305. (8) Hanc habet appellationem vetus Ptolemaei VI. numiſma apud Vaill. Hiſt. Ptolem. pag. 103. atque Demetrii III. e Seleucidis nummus. (9) Exhibent hoc cognomentum nummi Antiochi XI. & Philippi fratrum e Seleucidis; uti nummi Arſinoes ſororis itemque uxoris Ptolemaei II. vulgo *Philadelphi* nuncupati, ſed non ita in eius nummis, a quibus titulus ille exulat. Vid. Vaill. Hiſt. Ptolem. pag. 42.

ΝΟΣ (1), ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ (2), ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΥ (3), ſubiiciamus, quibus Reges complures commendari, & efferre ſe ſe voluerunt. Quemadmodum nihil de *Dei Deaeque* appellatione modo attigimus, quam plures Aegypti, Syriaeque Reges ac Reginae iactant in monimentis, quod de ea, deque impudenti Graecorum facilitate in eadem Principibus elargienda, in ſuperiori capite mentionem iutulimus. Quare ad Vrbium titulos earum dignitates ac privilegia praeferentes deſcendamus.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΣ. *Matres Vrbes*. Civitatibus illis ex quibus Coloniae deductae fuerant, quibuſve proinde urbes aliae originem ſuam debere profitebantur, titulus ille concedebatur, quem inſcriptionibus potiſſimum oſtentabant. Quam ob rem nummus Heracleae in Ponto habet: ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ. *Heracleotarum, Vrbis Matris Coloniarum Civitatum*, ſeu *Deductarum Vrbium*. Vrbium vero Coloniae frequenter Metropolis ſuae inſignia in monimentis exprimebant, eaque ratione originem ſuam indicabant. Ea enim de cauſſa Syracuſarum, & Ennae numiſmata, Pegaſum nobiliſſimum Corinthiorum inſigne praeferunt, quod Corinthiorum Coloniae forent. Ita Megara Siciliae urbs, & Camarina, noctuam Athenarum, ſuae ſcilicet Metropolis ſignum, aeri conſignarunt. Illa deinceps *Metropoleos* ſignificatione appellatae fuere in monimentis plures, & nobiliores quidem in orbe civitates, non quia ab eis Coloniae deductae, ſeu ab illarum civibus urbes conditae forent, ſed quia veluti totidem Provinciarum capita, aut Regionum principes Vrbes cenſerentur; qui mos ſub Seleucidis in Syria, ante quam ibi dominarentur Romani, praecipue invaluit. Sic ubi in priſcis Antiochenſium num-

(1) Quamplurimi ſunt, qui ad Graeciae populos ſibi demerendos hoc nomen aſſumpſerunt. Illud tamen Arſacidae in monumentis & Aretas Arabum rex in perantiquo numiſmate inſcripſit. (2) Honorificentiſſima haec appellatio, quae magni beneficii loco a Romanis concedebatur, occurrit in nummis Ariarathis & Ariobarzani Cappadocum Regum, & in eximio numiſmate Manni Arabiae Regis apud Seguinum Sel. Num. pag. 152. ut in alio Mithridatis Evergetis, qui Mithridatis Eupatoris, de quo nuper diximus, pater extitit. (3) Hoc titulo effertur Agrippa Rex Iudaeorum in nummo apud Harduinum de Num. Herod. pag. 59. cum hac inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. *Rex Magnus Agrippa*; atque Herodes item Iudaeae Rex in nummo cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, *Rex Herodes Amicus Claudii*. Ad quem vero Herodem hic nummus referri debeat, atque utrum hic Herodes idem ferme ſit, ac memoratus Agrippa, nondum inter Eruditos ſatis liquet. Vid. Spanh. Diſſ. 8. pag. 521. & Nor. de Epoch. Syrom. Diſſert. 3.

nummis legitur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Antiochenſium Metropoleos*, de Antiochia Syriae Metropoli, nondum in Romanorum poteſtatem redacta, id intelligi debet, quamquam non deſint praeſtantes viri, qui ad recentiora ſub Romanis Imperatoribus tempora, nummos illos referre malint (1). Id autem etiam de Tyro ſtatuendum, cuius urbis inveniuntur nummi cum *Metropoleos* titulo Auguſtorum aetate vetuſtiores. Amplificatis deinde Romani Imperii finibus ſubactiſque Aſiae Provinciis, *Metropoleos* nomen a Romanis, potioribus urbibus vel relictum, vel conceſſum fuit. Quare diſſimulare hic non licet, quod magna illa veterum Graecorum nummorum copia, in quibus ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ dignitas ſignatur, ii ferme omnes percuſſi fuere, poſtquam victricia arma in regiones urbeſque illas intulerunt Romani. Temporis progreſſu contigit etiam, ut partim veteri contentione inter urbes de *Metropoleos* dignitate, partim peculiari Auguſtorum benevolentia in aliquas civitates, aut urbium illarum in populum Romanum, ipſoſque Auguſtos meritis, contigit inquam, ut pro una, duae aut plures etiam ſubinde conſtitutae ſint in eadem regione *Metropoles*; una ſcilicet eademque Imperii Romani Provincia, quandoque in duas, aut tres, aut plures etiam frequenter diviſa; hinc mire propagata in urbium inſcriptionibus, illa *Metropoleos* appellatio. Ita Tarſum Ciliciae Metropolim, nummi ſub Auguſto percuſſi praedicant. Sed hoc honoris decus ſub Elagabalo, aut paulo ante, Anazarbo quoque Ciliciae urbi deinceps acceſſit, cuius in nummis legitur: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΜΕΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Anazarbi Metropoleos*. Quid Ponti monumenta commemorem, in quibus non modo Nicomediae, ſed & Amaſiae, & Neocaeſarae, & Tomorum urbes, Metropoleos appellatione efferuntur (2)! Id vero de aliis quoque Provinciis quamplurimis exemplis confirmari poſſet.

ΠΡΩΤΗ. *Prima*. Praeter *Metropoleos* dignitatem, alius etiam *Primatus* honor tribuebatur, quo Civitas aliqua urbes alias, etiam Metropoles, eiuſdem regionis veluti *Prima* excellere exiſtimabatur. Ita Amaſia non modo inſcribitur, ut diximus, *Ponti Metropoleos*, ſed ulterius in nummis Fauſtinae Iunioris, & Commodi: ΑΜΑΣΙΑ ΠΡ. ΠΟΝΤΟΥ (3), *Amaſia Prima Ponti*.

(1) Vide Spanh. Diſſert. 9. pag. 584. (2) Vide Hard. Num. Vrb. Illuſt pag. 342. & Vaill. Num. Graec. Impp. pag 75. & 46. (3) Vaill. Num. Graec. Impp. pag. 31.

ti. In aliis ſub Severo, Iulia Domna, Caracalla, Alexandro Severo utraque ſimul appellatio reperitur: AMACI. MHTP. Π. ΠΟ. *Amaſiae Metropoleos Primae Ponti*. In quibus poſtremis huius Civitatis nummis, coniunctus ille *Metropoleos & Primae* titulus, veluti diſcrimen conſignatus videtur, ut ab aliis Ponti urbibus dein *Metropoleos* dignitate donatis diſtingueretur. Decertaſſe tamen inter ſe nonnullas urbes de hoc ipſo *Primatus* honore, monimenta ipſa palam faciunt. Etenim in ipſis *Amaſia Metropolis Prima Ponti*, ut vidimus, paritèrque Nicomedia *Metropolis Prima Ponti*, & *Bithyniae* deprehenditur. Ita Epheſus, Smyrna, Pergamus, ΠΡΩΤΗ ΠΟΝΤΟΥ, *Prima Ponti*, praedicatur. Sardes Lydiae urbs trium regionum primam ſe ſe iactat: CAPΔIC ACIAC ΛΥΔΙΑC ЄΛΛΑΔΟC. A. MHTPOΠΟΛΙC. *Sardes, Aſiae, Lidiae, Helladis Prima Metropolis*. Huiuſce concertationis cauſſas, atque momenta, inſtituta brevitas operiſque conſilium conſectari vetat (1). Ceterum non modo ΠΡΩΤΗΣ *Primae*, ſed & ΔΕΥΤΕΡΑΣ, *ſecundae* appellatio honoris loco habita fuit; unde in Macedonum eximio raroque nummo habetur: MAKEΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑΣ (2). *Macedonum ſecundae*, nempe regionis, in qua urbs potiſſima, ac veluti caput Teſſalonica ſita erat. Quin etiam haud omiſſa inferioris quoque ordinis urbium mentio, ſeu commendatio. Huc referenda celebris in nummis Magnetum inſcriptio ſub Gordiano Imperatore: MAΓNHTΩN ЄΒΔΟΜΗ THC ACIAC (3). *Magnetum Septima Aſiae* (4).

IEPAI KAI ΑΣΥΛΟΙ. *Sacrae & Inviolatae* ſeu *non violandae*. Inſigne variarum urbium privilegium hic titulus prodit. Aſylum in iis urbibus Templorum cauſſa dabatur, atque in hoc tota illarum privilegii ratio, atque ius ſitum erat; ut non modo a civitatibus illis nec ad deditionem peti, nec vi adduci poſſent ſupplices ii, qui aſylo ſeu perfugio haud plane indigni,

ad

(1) Vide Spanh. Diſſ. 9. pag. 645. (2) Apud Spanh. Orb. Rom. pag 289. (3) Apud Patin. Num. Impp. pag. 398. (4) Magneſia, de qua hic ſermo, ea erat, quae ad Maenandrum Fluvium. Vaill. Num. Graec. Impp pag. 151. *Septimam Aſiae* eam dici pronunciat, quod ex tredecim urbibus *Commune* illius Provinciae componeretur. Infringit hanc opinionem Spanh. Diſſ. 9. pag. 656. indeque coniicit, *Septimam* nuncupari, quod ei ſex aliae urbes Aſiae, vetuſtatis & celebritatis famà, atque honoris gradu anteirent, nempe *Epheſus, Smyrna, Pergamus, Sardes, Miletus, Laodicea*, poſt quas Magneſia proxime locum inter celebriores Aſiae urbes mereri videbatur, quam aliae longe plures, ſed nobiliſſimae deinceps conſequebantur.

ad eas confugiſſet, quod olim Seldenus exiſtimaverat, atque inde Harduinus; ſed praeterea ut a ſubeundis belli oneribus, & direptionis militaris periculo huiuſmodi urbes immunes quodammodo forent. A Syriae vicinaeque Phoenices urbibus, mos ille atque ius in ceteras Aſiae omnino profluxit: quapropter in illarum regionum nummis iam ſub Seleucidis, huiuſcemodi privilegii exempla, & primum & frequentius occurrunt. Id autem evenit ob peculiarem numinis alicuius, quod apud urbes ipſas colebatur, dicatique eidem templi ſanctitatem ac religionem; ob quam a Syriae Regibus eiſdem ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ privilegia irrogata, quae deinde a Romanis Imperatoribus, Syriae, Phoenices, aliiſque Aſiae urbibus aut conceſſa, aut confirmata fuere, ut abunde inſcriptionibus evincitur. Sic nummus ſub Demetrio Nicatore cuſus habet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΕΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡ. ΙΕ. ΑΣΥ. ΕΠΡ. *Regis Demetrii Tyri Sacrae Inviolabilis anno* 185. quod ab Antiocho illud Aſyli ius Tyriis conceſſum fuerat. Saepius tamen cum ſolo civitatis nomine ut: ΑΠΑΜЄΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, *Apameae Sacrae Et Inviolabilis*; & ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ ΘΠΡ. *Antiochenſium in Ptolemaide Sacrae Inviolabilis anno* 189. Quamquam coniuncta ut plurimum in inſcriptionibus utraque illa appellatio legatur, nonnumquam tamen aut ſolum ΙΕΡΑΣ, aut ΑΣΥΛΟΥ nomen exhibent monumenta, ut in veteri inſcriptione: ΙΕΡΑ ΔΕΛΦΩΝ, *Sacra Delphorum*; & in nummis Epheſiorum (1): ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ ΑCΥΛΟC, *Diana Epheſia Inviolata*.

ΝΕΩΚΟΡΟΙ. *Aedituae*. Hoc magni nominis, honoriſque titulo complures urbes maxime gloriabantur. Eo enim ſe cives *Aedituos* Tutelaris Dei praedicabant. Numerum etiam in aere & lapidibus adnotabant, quoties aut religiones inſtauraſſent, aut novo Numini Maieſtatique eius ſe devoviſſent, proindeque legitur: Θ. ΝΕΩΚ. vel expreſſe ΔΙC ΝΕΩΚ. *Bis Aeditui* Γ. vel ΤΡΙC ΝΕ. *Ter Aeditui*. Conſule, quae de hoc titulo alio loco attigimus (2).

ΝΑΥΑΡΧΙΔΕΣ. *Claſſicae*. Hanc in monimentis appellationem nonnullae urbes maritimae ſibi vindicabant, quod naves ibi, ſeu claſſes ad urbis aut Provinciae tutelam veluti in ſtatione agerent, & in quas imperium iiſdem urbibus erat conceſſum. Saepe hic titulus cum aliquibus ex ſuperioribus coniun-

(1) Vaill. Num. Graec. Impp. pag. 164. (2) Cap. 6. Pr. P. pag. 60.

Digitized by Google

niunctus occurrit, ut ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑΣΤΛ. ΑΥΤΟ. ΝΑΥΑΡ. ΡΟΕ. *Dorae Sacrae Inviolabilis Suis Legibus utentis Navarchidis Anno* 175. & ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΝΑΥΑΡΧ. *Aegeaeorum Neocororum Navarchidos*.

ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ. *Liberae*. Libertas illa quam hoc titulo in monimentis complures urbes oſtentant, haud erat ea plena libertas, quae omnem alterius poteſtatem, atque imperium excludit; ſed fuit quoddam beneficii veluti genus, quo civitates aliquae, quae in regum primum, dein Populi Romani, aut Auguſtorum ditione cenſebantur, nihilominus proprii Magiſtratus ac ſuarum legum libertate, ac interdum a pendendis tributis, ac vectigalibus vacatione fruebantur. Quare ea vox in nummis & lapidibus idem deſignat ac Α'υτοδικία, & Α'υτονομία, de qua infra, nempe *Magiſtratus, ac ſuarum legum libertatem*, cum promiſcue Ε'λευθέρᾳ ac Α'υτονόμῳ ſignificatione Graeci uterentur. Aſt ubi utraque vox ſimul coniuncta invenitur, ut aliquando fit, tunc Α'υτονομία proprii Magiſtratus, & Iudiciorum libertatem indicat. Scio Vaillantium (1), magnum quoddam diſcrimen inter eas urbes quae ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ, & eas quae ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ in nummis inſcribuntur, ſtatuere; ſcilicet quod urbes Α'υτόνομοι forent vectigales, Ε'λευθέραι autem a vectigalibus omnino immunes. Verumtamen Spanhemius (2) egregie ſane & luculente comprobavit diſtincte omnino ac ſeparatim Ε'λευθερίας, ſeu *Liberae* Vrbis vel gentis, & Α'τελείας, ſeu Α'υτοθελείας, vel Α'φορολογήτου, *Immunitatis* nempe a vectigalibus & tributis, lata fuiſſe privilegia. E quibus liquet abunde quo ſenſu & ſignificatione ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ nuncupentur in monimentis, praeſertim in nummis ſub Romanis Imperatoribus percuſſis, tot urbes Ponti, Cappadociae, Ciliciae, Paleſtinae, Macedoniae; ut in Ponto: ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *Amiſi Liberae*, a qua parta Ε'λευθερία, Amiſus peculiarem etiam aeram auſpicata eſt, quod alio loco ſtatuimus (3), ut quamplurimas alias urbes eodem beneficio donatas ſileamus.

ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ. *Suis ſeu patriis legibus utentes*, ſcilicet urbes. Magni momenti ius ac beneficium denotat haec frequens in inſcriptionibus appellatio. Siquidem per eam urbes, quae novorum Principum, aut victorum iuga ſubire cogebantur, patriis legibus ac iudiciis vivendi poteſtatem ſibi vel conceſſam,

E e vel

(1) Num. Graec. Impp. pag. 214. (2) Orb. Rom. pag. 3.. & pag. 469; Atque de Praeſt. & Vſ. Num. Diſſ. 9. pag. 677. (3) Cap. 6. Pr. Part.

vel relictam publice teſtabantur. A Seleucidarum uſque temporibus hoc privilegium civitates in Aſia nobiliſſimae ſibi potiſſimum vindicant, ut: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ. Δ. *Seleucienſium Sacrae ſuis legibus Anno* 4. quae aera a tempore, quo Seleucenſes ab Antiocho IX. Cyziceno ius illud Autonomiae nacti fuerant, deducitur. In Romanorum deinde poteſtatem Aſiae urbibus translatis, frequentius in publicis monimentis ad poſterorum memoriam privilegium illud ſignatum invenitur, ut: ΑΝΤΙΟΚΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΕΚ. *Antiochenſium Metropoleos ſuis legibus utentis, Anno* 25. qui annus a confirmata ab Iulio Caeſare Antiochenſium *Autonomia* numeratur. Tanti ergo decus illud fecerunt Civitates, ut ab eo, vel cum primum conceſſum, vel cum denuo reſtitutum fuerat, novum annorum initium atque cardinem urbes quamplurimae, ac ſi iterum revixiſſent, exorſae ſunt: ex quo magna illa Epocharum copia, quam in alia Operis parte proſecuti ſumus, eſt potiſſimum derivata. Cum vero haec *Autonomia*, ſeu ſuarum legum uſus, praecipua pars foret aut acquiſitae, aut aſſertae libertatis, inde etiam accidit, ut frequentius eaedem urbes Α'υτόνομαι, quam Ε'λεύθεραι in monimentis appellentur.

CAPVT VII.

De Chriſtianorum Monumentis, Inſcriptionibus, & Siglis.

QVae hactenus de Antiquitatis ſtudio moliti ſumus, ea profecto ad profanam ſcriptorum monimentorumque cognitionem aſſequendam comparata ſunt, quo labor hic noſter unice ſpectabat. Aſt modo animum noſtrum inceſſit religio, Chriſtianam monimentorum eruditionem indictam prorſus omittere, quae tanta cum laude his temporibus floret, arctiſſimoque quodam vinculo cum Auguſtorum hiſtoria atque memoriis colligatur. Quamquam ergo mens noſtra minime fuerit de Chriſtianorum monimentorum ſtudio hoc loco ſermonem inferre, quae locum alium, ac tempus poſtulare videbantur; non tamen ab re ſed iucundum ac utile fore ſperamus, ſi nonnulla hic de Chriſtianorum memoriis coronidis loco delibaremus. A Conſtantini temporibus monimenta Chriſtianae pietati publice con-

conſecrata conſpiciuntur. Celebre illud Monogramma ☧ quod initialibus X, & P litteris, Χριστοῦ *Chriſti* nomen indicat. Illud primum in galea Conſtantini, & in ſignis militaribus frequentiſſime emicat inſcriptionibus variis: GLORIA EXERCITVS. HOC SIGNO VICTOR ERIS. GLORIA ROMANORVM. Prodit inde in Placidiae nummo lauro praecintum, & in Magnentii numiſmate hac inſcriptione: A ☧ ω. SALVS DD. NN. AVG. ET CAES. *Alpha & Omega Chriſtus Salus Dominorum Noſtrorum Auguſti, & Caeſaris*, Magnentii videlicet & Decentii. Id autem non perinde dictum velim, quaſi illud Chriſti Monogramma duabus Graecis litteris effictum, a Conſtantino primum inventum, & a Chriſtianis ante illius aetatem minime uſurpatum fuerit: adeoque monimenta illa, quae eo Monogrammate commendantur, ad Conſtantini aevum, vel ad poſteriora tempora, ut dictitant nonnulli, ſint revocanda. Fallax omnino haec opinio, fallax nota illa temporis ad Chriſtianorum monimenta dignoſcenda tradita adque adhibita. Quamvis enim plurimae Inſcriptiones eo Monogrammate inſignitae ad certas aetates referri vix poſſint, quod temporis charactere plerumque careant, illud tamen obſervatur in lapidibus Marii ſub Hadriano, Alexandri ſub Antonino Pio, Caii Pontificis ſub Diocletiano, atque in aliorum Martyrum inſcriptionibus (1). Atque nemo in animum inducet ſuum, innumeros Martyres illos, in quorum lapidibus hoc Monogramma inſculptum cernitur, poſt Conſtantinum paſſos fuiſſe in Iuliani Apoſtatae perſecutione, quae una poſt Conſtantini aetatem Romae, ſed minus quam

(1) Vid. Arringhium Rom. ſub. Tom. I. Lib. 3. Cap. 22. pag. 497. 524 592. 597. & Tom. II. Lib. 6. Cap. 43. pag. 642. & Cap. 23. pag. 566. Atque Fabrett. Antiq. Inſcript. Cap. 1. pag. 738. num. 491. Item Lupum In Diſſert. atque Animad. ad Sever. Martyr. Epitaph. pag. 46. & 137. & Marangonium Acta S. Victorin. Epiſc. Amitern. & Martyr. Illuſt. in Append. pag 115. De hiſce praeclaris Chriſtianae Antiquitatis reliquiis conſulendi etiam ſunt, Boldettus, Oſſervazioni ſopra i Cimiteri de S. Martiri, ed antichi Criſtiani; Buonarotius, Oſſervazioni ſopra alcuni Frammenti di vaſi antichi di vetro ornati di figure; Ciampinius, Veterum Moniment. &c & de Sacris Aedificiis; Margarinius, Inſcript. Antiq. Baſilicae S. Paulli ad viam Oſtienſem; Boſius, Roma ſotterranea; qui omnes ob vetuſtiſſimas Chriſtianorum memorias collectas atque illuſtratas, cum aliis Scriptoribus ſuperius memoratis, de tota Chriſtiana Antiquitate eiuſque ſtudio, quam qui maxime, meriti ſunt.

ſuperiores cruenta, deſaevit. Illud ego cum Buonarrotio (1) vero quidem ſimile crediderim, hoc nempe venerabile Chriſti ſignum ab ipſis Eccleſiae incunabulis in Oriente primum a Chriſtifidelibus, veluti pro illorum teſſera atque nota, uſurpatum, forte cum illis *Chriſtiani* nomen adhaeſit. Hanc facile ſuadent originem Graecae ipſae litterae, quibus Monogramma illud fingitur; eaedemque in eo deſignando a Latina Eccleſia inde adoptatae perpetuoque retentae. Neque a veritate plurimum diſtant (2), qui ſalutiferum idem ſignum ſpectaſſe volunt Apoſtolum Ioannem (3), ubi de ſigno Electorum loquens, *Signum Dei vivi*, atque plane *Agni nomen* illud vocat. Ceterum non modo ante M. Conſtantinum apud Chriſtianos huiuſmodi Monogramma uſitatum; ſed iam ante Chriſtianam Religionem iisdem Graecis elementis X & P effictum, in Ptolemaeorum nummis expreſſum fuit; quo certe loco haud Chriſti Servatoris nomen, ſed Ptolemaeorum quaſi epitheton, vel initiales urbis litteras, aut Monetarii ſignum, vel probabilius quid nobis ignotum deſignat (4). Quemadmodum alio quam Chriſtianam Religionem ſpectavit Domitianus in nummo Iſiaco, in quo Sacrigerulum Iſiacum ſiniſtra crucem tenentem ſignari voluit. Id Domitiani perſecutionem in Chriſtifideles portendere nonnullis perperam viſum fuit. Etenim ut obſervat Obrechtus (5), qui tamen de eo nummo etiam dubitat, inter litteras Aegyptiorum ἱερατικὰς Dominicae Crucis figura vitam venturam denotari pluribus conſtat. Hinc eo in nummo cuiuſdam Iſidis Sacrigeruli inſignia exprimuntur: atque is eſt fortaſſe Domitianus ipſe, qui flagrante bello Vitelliano, ut mortem declinaret, Iſiaco celatus habitu inter Sacrificulos latuit, ut habet Svetonius (6), & regnante Veſpaſiano eius patre Iovi Conſervatori aram poſuit, *caſuſque ſuos in marmore expreſſit*, ut ait Tacitus (7). Quare nihil veriſimilius Domitianum eoſdem caſus in nummis

(1) Loco cit. in Praefat. pag 12. (2) Vid. Buonarot loc. cit. pag. 14. (3) In Apocal. Cap. 7. v. 3. & Cap. 14. v. 1. (4) Revera hoc idem Monogramma aliud quam Chriſti nomen interdum denotare colligitur ex Iſidoro Hiſpalenſi, qui illud recenſet inter notas diſpungendis ſententiis inſervientes, & exponit: χρήσιμον, quaſi *utile ad omnia*; quod nempe ex mente Iſidori: *eſt nota ad voluntatem cuiuſque*. Eleganter tamen aſſumptum eſt ad Χριστοῦ nomen indicandum, cum & Crucis figuram in littera X, & initiales duas litteras eiuſdem ſacri Nominis complectatur, quod profecto univerſo hominum generi χρησιμώτατον fuiſſe laeti confitemur. (5) In Epiſt. de Num. Domit. Iſiac. (6) In Dom. Cap. I. (7) Hiſt. Lib. 3.

mis etiam memorari voluiſſe. Non ita vero dicere auſerim de Alexandri Severi numiſmate, in quo Sacrum Chriſti nomen per has litteras IHV. nitidiſſime exprimitur. Dignus ſane nummus ut hic deſcribatur. Exhibet ex anteriori parte Imperatoris caput leonina pelle indutum, ſed ita ut ſola eius facies oblique formata videatur, circum legitur: ALEXSA . . . . DRI. In averſae partis area fingitur Aſella ſtans, & pullum ſuum lactans, ſupraque ſcorpius, in orbem vero inſcriptio: DN. IHV XPS DEI FILI... VS. Paucis ab hinc annis protulit, & qua pollet eruditione ac ſapientia hunc nummum illuſtravit Cl. Eques Victorius, cui tres alios adhuc ineditos adiicit, in quorum uno emendate Alexandri nomen exprimitur, & in altero legitur: IOVIS FILIO; ſed in utriuſque averſa parte idem monſtrum, ſed abſque ulla inſcriptione, proſpicitur, quod in memorato expreſſum fuit, eoſque omnes in Chriſtianorum contemptum, & ludibrium ſub Alexandro Severo cuſos fuiſſe ſtatuit atque vulgatos (1). Nota vetus Ethnicorum calumnia in Iudaeos, quae deinde ad Chriſtianos ob religionis affinitatem traducta fuit (2), eos nempe divinos honores aſino tribuiſſe. Nota pictura illa impudentiſſima atque contumelioſa, quam refert Tertullianus aetate ſua palam propoſitam cum inſcriptione: DEVS CHRISTIANORVM ONOCHOETES; *Is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans & togatus,*

(1) Inſolitum numiſma illud omnium primus vulgavit ex ſuo Muſeo Antonius Sabbatinius in Vrbe Antiquarius; deinde animadverſionibus illud exornavit Victorius Diſs. De Vetuſt. & For. SS. Nom. Ieſu pag. 60. atque iterum in Epiſt. De Nonnull. Num. Alex. Sev. pag. 15. iterumque in Diſs. Apolog. de quibuſd. Num. Alex. Sev. pag. 6. quibus ſingulis locis eruditus Auctor alios memoratos Nummos addit. (2) Baronius ad an. Chr. 101. num. 27. & ſeq. Calumniam hanc ab Haereticis Gnoſticis ad Chriſtianos facile profluxiſſe opinatur, multiſque ſcriptorum teſtimoniis eamdem Iudaeis, & Chriſtianis obiectam fuiſſe oſtendit. Buonarotius Oſser. ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi &c. pag. 71. & ſeq. multa de eadem figura erudite ſcribit, atque dum monet veteres Chriſtianos perſaepe ſculptura, picturaque hoc animal expreſſiſſe, non obſcure innuit, turpem illam notam a frequentiori conſuetudine fingendi illud animal derivâſſe. Victorius in Diſs. Apolog pag. 12. in adnot hanc etiam cauſſam addit: *Adiuvarunt ipſi Chriſtiani huius ſcommatis ineptiam, cum ſibi nomina frequenter imponerent: Aſinus, Aſellus, Aſellius, Aſellicus*, quae in vetuſtis Chriſtianorum lapidibus occurrunt. Demum de hiſce, conviciis atque irriſionibus doctiſſime agit Thomas Maria Mamachius Ord. Praed. Lib. I. Orig. & Antiq. Chriſt. Cap. 2. pag. 91. & fuſius Cap. 3. pag. 119.

tus. *Riſimus & nomen & formam* (1). Inde Iudaei aeque ac Chriſtiani non ſine contemptu ac irriſione ab Ethnicis *Aſinarii* ſaepe nuncupati. His igitur de cauſſis in eam, quam attulimus, laudatiſſimus Auctor, adducitur opinionem; licet Lampridius tradat (2), Alexandrum in Larario ſuo Chriſti imaginem habuiſſe, reique Chriſtianae plurimum ſtuduiſſe. Id enim Imperatorem illum Ethnica prorſus pietate feciſſe conſtat, cum Chriſti imaginem una cum aliis gentium Diis adſervaret; proindeque quae de Servatore noſtro *narrata & ſcripta erant, facile aures ſuas implebant, non animum movebant, hinc patriis legibus vivens, Chriſtifideles non eodem animo proſequebatur* (3). Neque Cl. ſcriptorem movent, quae contra eius opinionem erudite congeſſit Paciaudius (4), ubi ea numiſmata Amuletorum loco fuiſſe, atque Iuliano Apoſtatae potius tribui oportere aſſerit. Etenim eruditiſſimus Eques Paciaudii obſervationes novo argumentorum atque ſcriptorum apparatu protinus impetere atque infringere ſtuduit (5); qua oblata occaſione ineditum aliud Alexandri Severi numiſma, ex iis, quae *Contorniata* (6) vocant, in medium affert. Hoc autem Alexandri caput leonis pelle exornatum oblique refert expreſſum, circa quod legitur: ALEXA.....NDER; in centro cuiuſdam circuli, qui coronae formam imitatur, littera S apparet, in poſteriori parte Chriſti Monogramma ita ☧ exhibet inſculptum. Atque hunc quidem nummum, neque Amuletum eſſe, neque ad Alexandrum M. aut ad Circenſes ludos, aut Iulianum Imperatorem pertinere ſcite contendit, neque aliquid Monogramma illud commune habere cum eo, quod in Ptolemaei numiſmatibus viſitur, ſed rem totam uni Alexandro Severo eſſe adiudicandam. Verum quidquid ſibi velit monſtrum illu[d] in ſuperioribus nummis inſculptum, quibuſve Imperatoribu[s] memo-

(1) In Apologia Cap. 26 Baronius aliiq. exiſtimant picturam illam publice expoſitam fuiſſe Romae, verum id Carthagine accidiſſe, ubi Apologiam Tertullianus conſcripſit, manifeſtiſſime infertur ex iis quae habet Pagius Crit. Bar. ad an. 201. num. 6. (2) In Alex Sev. Cap. 29. & 43. (3) Victorius in Epiſt. De Num. Alex Sev. pag. 23. (4) Oſſervaz ſopra alcune ſingolari e ſtrane Medag. (5) In Diſs. Apolog. ſuperius memorata. (6) De hiſce nummis *Contorniatis* egregie pertractarunt in ſingulari opere Havercampius, atque in eorum doctiſſimis elucubrationibus a nobis frequenter hoc opere memoratis, Ducangius, Morellius, aliique. Totum plane quod de iis numiſmatibus profertur ab iis, qui inferiori aevo illos adſcribunt, verſatur tum circa inelegantem caelaturae modum, tum in eo quod ad Circenſes ludos hi nummi ſpectarent.

memorata numiſmata ſint adſcribenda, noſtra non refert modo prolixius expendere. Vocant enim ad ſe ſe, atque nos manent Chriſtiani Imperatores, a quibus paullo fortaſſe longius digreſſi ſumus. Ergo parta ſub Conſtantino Eccleſiae tranquillitate, atque Deorum cultu per inſequentes Chriſtianos Imperatores paulatim everſo, Chriſti Religio non modo in templis palam triumphare viſa eſt, ſed etiam ſalutiferum Crucis ſignum, & alia religionis ſymbola atque myſteria, quae olim in Diptycis repraeſentabantur, ut facilius quocumque ferri, occultari, atque ab Ethnicorum inſidiis removeri poſſent (1), publice in tabulis, lapidibus, nummis, gemmis, lucernis, annulis, aliiſque monimentis figurari coeperunt; atque ipſum venerabile Chriſti nomen palam in monimentis inſculptum, praecipuum illorum decus atque ornamentum evaſit, unde in inſcriptionum fronte legitur quandoque: T. I. X. N. *Titulus in Chriſti Nomine* (2), aliaeque huic perſimiles formulae. Hoc autem SS. Nomen, cui addita in nummis non raro Divina Servatoris imago, variis quidem litteris a Graecis deſignari conſuevit, nempe $\overline{\text{I}}$ H. vel YS. frequentius in nummis, & lapidibus: $\overline{\text{IC}}$. $\overline{\text{XC}}$. (3) aut IhS. vel IHS. Poſtremam hanc divini nominis formam prae ceteris Latini a Graecis deinde mutuati ſunt, cui inſito poſtea ſuper H Crucis ſigno, maximus Chriſtianorum cultus atque honor, temporum progreſſu fere intermortuus, ſaeculo XV. auctore D. Bernardino Senenſi, iterum acceſſit. At Chriſti nomen Latini modo Graecis, modo Latinis litteris praeſertim in lapidibus exprеſſere, unde ſaepe invenitur: *in* $\overline{\text{XPO}}$, & *in* CHO. Non raro Servatoris nomini alium titulum aut formulam additam fuiſſe, monimenta docent, ut $\overline{\text{IC}}$. $\overline{\text{XC}}$. NIKA. *Ieſus Chriſtus vincit;* aut IhS. XPS. REX REGNANTIVM; vel Graece IS. ȢS. bASIL. bASIL. Ιησȣ̃ς Χρισὸς Βασιλεὺς Βασιλέων: Quandoque IC. X. EMMANȢHΛ (4): aliquando EMMANVEL abſque alia inſcriptione (5). Illa vero inter alias memoranda venit liturgica for-

(1) Vid. Buonarot. loc. ſupra cit. pag. 259. ubi Sacrum Diptycum egregie illuſtrat. (2) Murat. Veter. Inſcript. &c. pag. 1856. (3) De Ieſu nomine ut plurimum per has notas in nummis antiquis contracto, vide Ducangium Diſſert. de Infer. Aevi Numiſmat. num. 28. & Theſaur. Frideric. Numiſm. Antiq. Cap. 3. pag. 89. 91. 92. (4) Apud Victor. Numm. Aer. P. I. Cap. 37. pag. 46. (5) Bandur. Numiſm. Imppi pag. 739.

formula, quae frequenter poſt compendiarias litteras IC. XC. circa Servatoris imaginem in nummis & gemmis interdum obſervatur. Ita in numiſmate Alexii Comneni legitur: IC. XC. in orbem KE BOHΘEI. *Domine adiuva* (1), nempe Alexium: idem occurrit in nummo Emmanuelis Deſpotae, aliorumque monimentis. Ad Chriſti vero imaginem nimbo Crucigero ut plurimum redimitam, & in monimentis impreſſam, quod attinet, eam vetuſtiores etiam Imperatores in nummis effinxerunt. Itaque illa in nummo Iuſtiniani II. & Michaelis Rangabe cernitur, ubi in anteriori nummi parte Imperatorum imago, in altera Chriſti protome obſervatur (2). Pleraque tamen ex iis numiſmatibus Chriſtum nimbo Crucigero, atque alia Religionis myſteria referentibus, praeſertim ubi illorum aetas definiri vix poſsit, Ioanni Zemiſci vulgo tribuunt ſcriptores (3), quem etiam primum nummos *Chriſti Domini protoma inſculpſiſſe* volunt nonnulli (4), non ideo quod Ioannis Zemiſcae numiſmata illa revera ſint, ſed, ut inquit Ducangius (5), *quod commodiori vel certiori loco collocari vix potuerint*. Sed multa de nummis imagine Chriſti ſignatis erudite animadverterunt Marquardus Freherus (6), & Ludovicus Savotus (7) apud Grevium (8), ubi Zonarae teſtimonio demonſtratur, ita olim Imperatores conſueviſſe nummos Servatoris imagine exornare, ut Iſacium Comnenum tamquam impium damnarint plurimi Scriptores, quod rerum ſumma potitus non utique Chriſtum, ut mos invaluerat, ſed ſuam imaginem manu gladio inſtructa cudi iuſſerit, vulgarique probaverit. Venio ad Chriſtianorum ſepulcra, de quibus tamen haud multa monenda occurrunt, non modo quod ad illa referri debent, quae hactenus de Chriſti Monogrammate litteriſque Servatoris nomen efferentibus pertractavimus, verum etiam quod ſepulcrales tituli a Chriſtianis adhibiti, & pauci ſint, & fere iidem ubique lapidum redeant. Neque enim de Sanguinis (9) vaſe pro-

(1) Vid. Ducang. loc. ſupra cit. & Bandur. loc. cit. pag. 754. 758. (2) Apud Bandur. Numiſ. Impp. T. II pag. 679. 712. & Ducang. Hiſtor Byzant. in Familia Heraclii, & in Familia eiuſdem Michaelis pag 116. & 128. (3) Vide Bandur. loc. cit. pag. 739. & Ducang. loc. cit. in Familia eiuſdem Ioannis pag. 152 & in Diſſert. Inf. Aevi num. 27. (4) Apud Victor. Num. Aer. P. I. cap. 37. pag. 44. (5) Diſſert. Inf. Aev. loc. cit. (6) Lib. II. de Re Monetar. (7) Diſſert. de Num. Ant. P. I. cap. 3. (8) Tom. XI. columm. 1157. & 1420. (9) Conſule de hoc Sanguinis vaſe Arringh. T. I. Lib. 3. Cap. 22. pag. 497. & Fabret. Inſcript. Domeſt. cap. 8. pag. 556.

prope Martyrum ſepulcra collocato, de vitrorum [1] fragmentis prope eadem compactis, de figuris, picturis, ſymbolis in lapidibus ipſis expreſſis, aliiſque ſignis [2], quae ad aliud Antiquitatis genus pertinent, inſtituta brevitas, atque huiuſce operis ratio verba facere ſinit. Breviter ſed nervoſe primis etiam Eccleſiae temporibus Chriſtiani ſepulcrorum inſcriptiones concipiebant, quibus defuncti laudes, virtutes, annos quot vixiſſet, exprimebant; & licet in iis exarandis nonnullas Ethnicorum formulas cooptaverint, ab iis tamen ſummopere abſtinuerunt, quae Deorum religionem redolere videbantur. Hinc a Chriſtianorum ſepulcris eliminantur formulae illae: I. O. M. S. *Iovi Optimo Maximo Sacrum*. D. M. S. *Diis Manibus Sacrum*, atque alia huius generis; quorum locó ſubrogarunt Chriſtiani: D. O. M. S. vel M. S. *Memoriae Sacrum*. aut B. M. *Beatae Memoriae*. ſeu P. M. S. *Piis Manibus Sacrum*. Frequentius vero abſque ullo titulo Chriſti tantum Monogramma inferne aut ſuperne appoſuerunt, aut una cum illo Sèrvatoris nomen per compendiarias litteras exaratum. Illa tamen veluti proprià Chriſtianorum formula haberi poteſt, qua obitum exprimebant, nempe: D. I. P. *Dormit in Pace*, vel DORMIT. F. I. P. D. *Dormitorium fecit in Pace Domini*. Orta enim apud Chriſtianos huiuſmodi formula a Chriſti verbis, ubi de Lazaro ait [3]: *Lazarus amicus noſter dormit*, atque ab iis de filia Archiſynagogi: *non eſt mortua, ſed dormit* [4]; proindeque apud illos certam Reſurrectionis fidem ea formula complectebatur [5]. Qua inde de cauſſa Chriſtianorum ſepulcra, *Coemeteria*, nempe *Dormitoria*, morſque ipſa *dormitio* appellata [6], quamquam per ea verba, IN PACE, defunctum in Eccleſiae communione occubuiſse Chriſtifideles etiam declaraverint. Huic perſimiles ſunt, idemque ferme notant aliae formulae. B. Q. I. P. *Bene Quieſcas*, vel *Bene Quieſcenti in Pace*, aut abſolute IN PACE, vel IN PACE, ET BENEDICTIONE, aut VIVAS IN DEO. Poſtremo praetereundum minime duco, etiam in Chriſtianorum lapidibus ſignum vel litteram X non raro adinveniri. Mabillonius.

(1) Adi Buonarot. Oſſervaz. &c. eximium ſane opus, & ſaepius hoc capite a nobis memorato. (2) De hiſce Chriſtianorum memoriis conſulendi ſunt Auctores Romae ſubterraneae, nempe Arringhius, & Boſius, aliique huius capitis exordio commendati. (3) Ioann. cap. XI. verſ. 11. (4) Marc. cap. V. verſ. 39. (5) Vid Greg. Nazianz. Orat. XI. circa finem. (6) S. Cyprian. Epiſt. 66. S. Hieronym. Epiſt. ad Nepotian. & Epiſt. 29. 79. 89.

nius ſculptum unice putat ſignum illud in lapidibus Coemeteriorum *ad deſignandum tumulum*, *quales numeros*, ait, *in Roma Subterranea ſaepius offendes* (1). Mabillonio Fabrettus adſentitur (2). Verumtamen cum raro contingat hos numeros reperire ſeu in Chriſtianorum, ſeu in Ethnicorum inſcriptionibus, quos nota N minime praecedat, illud vel tumulum, vel aetatem defuncti iuxta Boldettum (3) portendere potuit. Ceterum Victorius (4) eo etiam ſigno Chriſtifideles in eorum monimentis Chriſti nomen indicaſſe, merito contendit. Atque haec de Chriſtianorum monimentis atque inſcriptionibus obiter percurriſſe ſufficiat; praeſertim cum uberrimos ſcriptorum fontes Adoleſcentibus in hoc capite praemonſtraverim, a quibus longe plura, ubi opus fuerit, poſſint haurire. Quoniam vero in eorum inſcriptionibus peculiares quaſdam notas Chriſtiani uſurparunt, hic eas ſubiiciendas pro huius operis coronide duximus, cum potiſſimum Graeca litterarum compendia in Chriſtianis monimentis obſervata, haud facile ſit alibi ſimul collecta invenire; quibus Latina nonnulla addidimus, quae cum ſingulares maerentis animi ſenſus praeſeferant, veluti ſpecimen haberi poſſunt pietatis illius atque benevolentiae, qua defunctorum manes Chriſtiani olim proſequebantur.

A

A.	Α''λφα, *vel* Α'μὴν	*Alpha*, vel *Amen*.
ΑΓ,	Α'γία	*Sancta*.
ΑΓΙΩ'.	Α'γιωτάτȣ	*Sanctiſſimi*.
ΑΡΚ.	Α''ρκαμ	*Arcam*.
ΑΡΚΑΔ.	Α'ρκαδίῳ	*Arcadio*.
Α☧Ω.	Α''λφα, *&* Ωμέγα	*Alpha*, *&* *Omega*.
ΑΡΧΙΕΠΙCΚ'.	Α'ρχιεπισκόπȣ	*Archiepiſcopi*.
ΑΥΡ.	Α'υρήλιος	*Aurelius*.

B.

(1) Iter Italic. pag. 74. (2) Inſcript. Domeſt. cap. 8. pag. 546. (3) Oſſerv. ſopra i Cimit. Lib. I. cap. 58. pag. 303. (4) Num. Aer. P. II. cap. XI. pag. 77.

B

B.	Βενεφικιάριος	*Beneficiarius.*
BENEΦ.	Βενεφικιάριος	*Beneficiarius.*

Γ

ΓB.	Γαβριὴλ	*Gabriel.*

Δ

ΔIAK.	Διάκονος	*Diaconus.*

E

Є.	Ε'νθάδε, *vel* Ε'κοιμήθη	*Hic*, vel *Requievit.*
EZH.	Ε"ζησεν	*Vixit.*
EI ΘΥ.	*f.* Ε'ν Ιρήνῃ Θεῦ	*In pace Dei.*
EK.	Ε'κοιμήθη	*Requievit.*
ЄKO.	Є'κοιμήθη	*Requievit.*
EM.	Ε'μβόλιμος	*Embolimus.*
ЄNΘ.	Є'ν Θεῷ	*In Deo.*
ЄNOIPN.	Ε'ν εἰρήνῃ	*In Pace.*
EΠIΣK.	Ε'πισκόπου	*Epiſcopi.*
ЄTЄ.	Ε'τελεύτα, *ſive* Ε'τελεύτησε	*Obibat*, vel *Obiit.*
ЄΥΘM.	Ε'πιθυμητῷ	*Deſiderato.*

H

HZHΣ.	Ε"ζησεν	*Vixit.*
HC.	Η'ν Cριςῷ	*In Chriſto.*

Θ

ΘΕΟΘ.	Θεόθεν	*Divinitus.*
ΘΗ.	Θανέσῃ	*Mortuae.*
ΘΚ.	Θεοτόκος	*Deipara.*
ΘΚΟΝ.	Θεοτόκον	*Deiparam.*
ΘΚΟΥ.	Θεοτόκȣ	*Deiparae.*
ΘΥ.	Θεȣ̃	*Dei.*
ΘΥΤΡΙ.	Θυγατρὶ	*Filiae.*
ΘΩ̄.	Θεῷ	*Deo.*

I

IATT.	Κάτθανε, ſive Κατατέθη	*Obiit*, ſive *Depoſita eſt.*
INΔI.	Ἰνδικτίωνος	*Indictione.*
IP.	Ἱερεὺς	*Sacerdos.*
IC.	Ἐν εἰρήνῃ	*In Pace.*
IC͂.	Ἰησȣ̃ς	*Ieſus.*
IΣ.	Ἰησȣ̃ς	*Ieſus.*
IXΘYC.	Ἰησȣ̃ς Χριστὸς Θεȣ̃ Υἱὸς Σωτὴρ	*Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator.*
I.X.Θ.Υ.C.N.	Ἰησȣ̃ς Χριστὸς Θεȣ̃ Υἱὸς Σωτὴρ Νικᾷ	*Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator Vincit.*
ω̄Υ.	Ἰωάννȣ	*Ioannis.*

K

K̄.	Κυρίῳ	*Domino.*
K.	Κάτθανε	*Obiit.*
K.	Κώμῃ	*Ex Vico.*

Κα-

K. A.	Κάτθανε, *ſive* Κατέθητε	*Obiit*, vel *Depoſitus eſt*.
KAT.	Κάτθανε	*Obiit*.
K̄Ē.	Κύριε	*Domine*.
K̄Ī B̄.	Κατατέθειται δευτεραίᾳ	*Fuit poſtridie depoſita*.
K̄C̄.	Κυρίῳ Σωτῆρι	*Domino Servatori*.
KT.	Καὶ	*Et*.
KT.	Κυριακὴ	*Dominica dies*.
Kω.	Κώμη	*Ex vico*.
	M	
M.	Μνήμης	*Memoriae*.
MAP.	Μαρτίων	*Martias*.
MP.	Μήτηρ	*Mater*.
MX.	Μιχαήλ	*Michael*.
	N	
N.	Νώνων	*Nonas*.
NOEMB.	Νοεμβρίας	*Novembres*.
Nω.	Νώνας	*Nonas*.
	O	
OKTB.	Ὀκτωβρίων	*Octobres*.
	Π	
ΠAPAKATI.	Παρακατατέθειται	*Depoſita eſt*.
ΠΓΘΟΝ.	Παναγίαν Θεοτόκον	*Sanctiſſimam Deiparam*.

℞.	Πρίμα	*Prima.*
ΠΡΕCΒΤ.	Πρεσβυτέρω	*Preſbyteri.*
ΠΡS	Πέτρος	*Petrus.*
ΠΡωΝ.	Πατρῶν	*Patrum.*
ΠCΡΓΕЄ.	Ὑπὲρ γῆς	*Super terram.*
	Ρ	
ΡΟΥΦΕΙΝ.	Ῥουφίνῳ	*Rufino.*
ΡΥΘΗΝ.	Ῥουφίνῳ	*Rufino.*
	Σ	
C.	Cεβαςῷ	*Auguſto.*
C̄.	Є'ις	*In.*
ΣΡΪ.	Σωτῆρι	*Servatori.*
SS.	Δὶς ἕκτον	*Biſſextum.*
	Τ	
ΤΙΡΟΙ.	Πρὸ Ι.	*Pridie.*
	Υ	
ΥΠΟΔ.	Ὑποδιακόνου	*Subdiaconi.*
ΥΠΠΑΤ.	Ὑπάτοις	*Conſulibus.*
	Φ	
ΦΙΛΟΧ̄Ϋ.	Φιλοχρίςου	*Chriſti amante.*
	Χ	
ΧΙ.	Χριςοῦ Ἰησοῦ	*Chriſti Ieſu.*

℞c.

☧C.	Χριςὸς Cωτὴρ, *vel* ΧριςὸC.	*Chriſtus Servator*, vel *Chriſtus*.
☧.	Χριςὸς	*Chriſtus*.
XPTO.	Χριςῷ	*Chriſto*.
XPT.	Χριςȣ̃	*Chriſti*.
XPΩ.	Χριςῷ	*Chriſto*.
XΣ.	Χριςὸς.	*Chriſtus*.
XC.	Χριςὸς	*Chriſtus*.
XΩ.	Χριςῷ	*Chriſto*.
XΩΡΕΠΙΣΚ.	Χωρεπισκόπος	*Chorepiſcopus*.
	Ω	
Ω. XP. A.	Ωμέγα Χριςὸς Α῎λφα	*Omega Chriſtus Alpha*.

A. A. A. *Ave Amice Abi*.

A. E. C. *Anno Emmanuelis Chriſti*.

A. V. I. S. P. A. *Anima Vivat In Sempiterna Pace Amen*.

A. Q. I. C. *Anima Quieſcat In Chriſto*.

AV. E. OSS. Q. PR. VIAT. *Ave Et Oſſa Quieta Precare Viator*.

A. R. I. M. D. *Anima Requieſcat In Manu Dei*.

B. *Vixit*.

B. AN. G. D. IXX. *Vixit Annos Quinque. Dies IXX.*

B. M. *Beatae Memoriae*.

B. Q. DULC. M. M. *Bene Quieſcas Dulciſſime Mi Marite*.

B. Q. I. P. *Bene Quieſcas In Pace*.

BIBAT. *Vivatis*.

CESQ. I. P. *Ceſquit*, nempe *Quieſcit In Pace*.

C. O. B. Q. *Cum Omnibus Bonis Quieſce*.

D. O. M

C. R. S. *Chriſto Reſurrecto Sacrum.*

D. O. M. SP. Q. ASCEN. S. *Deo Optimo Maximo Speique Aſcenſionis Sacrum.*

DOC. C. C. *Docuit Chriſtum Crucifixum.*

D. ET. M. IMM. *Deo Et Meo Immanueli.*

D. vel DE. vel DP. *Depoſitus.*

D. I. P. *Dormit In Pace.*

D. I. P. *Deceſſit In Pace.*

DORMIT. F. I. P. D. *Dormitorium Fecit In Pace Domini.*

EXV. DE. *Exuvias Depoſuit.*

EXP. GLO. R. *Expectans Glorioſam Reſurrectionem.*

ET. D. P. M. V. *Et Dies Plus Minus Quinque.*

H. A. K. *Have Anima Kariſſima.*

H. M. C. T. *Hodie Mihi Cras Tibi.*

I. P. S. E. P. S. *In Pace Sibi Et Patri Suo.*

I. M. O. D. *In Manu Omnipotentis Dei.*

I. M. AE. E. I. *In Manibus Aeterni Emmanuelis Iaceo.*

M. E. S. I. B. G. *Memoria Eius Sit In Benedictione Glorioſa.*

M. M. *Memento Mori.*

P. M. S. *Piis Manibus Sacrum.*

P. M. *Piae Memoriae.*

P. M. LX. *Plus Minus* 60.

PIET. V. *Pietas Vera.*

SP. M. C. E. *Spes Mea Chriſtus Eſt.*

S. M. A. C. *Sit Meum Auxilium Chriſtus.*

TT. *Titulus.*

T. I. C. N. *Titulus In Chriſti Nomine.*

XPM. *Chriſtum.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA

MAG 2013530

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google